

I. D. B.



00

ge

1269

A. V. D. T. A. L. A. I.
TROPOSCHE-
MATOLOGIA IN
V. S. V. M. T. Y. R. O. N. V. M.

*Explicata, atque exemplis poeticis, oratoriis,
& sacris, quibus artis veritas & usus de-
monstratur, illustrata*

OPERA ET STUDIO
IACOBI CRENECARPI.



FRANCOVRTI,
Apud heredes Andreae Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.

M. D. XCVI.

Sine pane, & vino summi, ac demisso
vultu amor ambulat. p.

Sine pane, & vino summi, ac demisso
vultu amor ambulat. p.



G 206

*Sine pane & vino amor, sumit
semis vult a nubibus.*

AD LECTOREM



VRE olim Quiritiū, le-
ctor, iis qui vrbe pelleren-
tur, aqua & igni interd-
ictū erat, vt his subsidiis,
quibus humana vita con-
tinetur destituti, in alias
terras barbarie & ferita-

te horrendas migrare cogentur. Hodie certè
in orbe Romano, eos atrociori supplicio affi-
cerent, quibus verum artium Rationis & O-
rationis vsum quod vereor, ne aliqui atten-
tent, interdicerent & malitiosè adimerent.
Aequè enim ac deportati, muneribus diuini-
tus concessis priuati, non modò pro mortuis o-
mnino, sed etiam feris estimandi essent, qui ad
pristinam immanitatem, qua olim Orpheus
homines exemisse fingitur, protruderentur.
Quandoquidem hi limites duo, quibus homo
à brutis distinguatur: cum diuinis entibus v-
niatur, ad eò necessitate & utilitate connexi,
vt græci vtrumque vno verbo λογικόν cōiunctim
expresserint. Equidem quàm latè Oceanus
Logices pateat, ipsa ratio, cuius indubitata i-
mago, ac consensus omnium, sani Iudicij, Phi-

losophorum liquido comprobant. Cuius cogni-
 tione, si quis studiis ingenuis initiatus, non
 instruatur, ipse homo humanitatem exuere
 videatur, nec unquam ad mysteria grauiorum
 disciplinarum, opera & oleo perditio peruenire.
 Nec minus, aequè Grammatices & Rhetorices
 campi ad gubernationem Reipub. literariae e-
 molumento & necessitudine sese extendunt.
 Ingrediamur forum caeleste, quis mortalium,
 diuini Oraculi vocem quantis ornamentis il-
 lustrem, generi humano caligati patefactam,
 non stupeat: rosas, violas, Smaragdos, marga-
 ritas, stellas dicas, quae natura non ars, humano
 ingenio cognoscenda, miranda, non imitanda
 prodidit. Audiamus prophetas, apostolos, euā-
 gelistas, quorum ore Os diuinae sapientiae elo-
 cutum, nulla est linea nisi luminibus tropo-
 rum & figurarum splendida. Quorum literis
 quanta mysteria occulta homo, nisi à Dei spi-
 ritu afflatus, non enarrabit. Ingrediamur fo-
 rum humanum, nemo est qui non miretur
 tantam eloquentiam etiam homini diuinitus
 datam, diuinae eloquentiae emulam. Audimus
 oratores, poetas, historicos, philosophos, quo-
 rum libri pleni ornamentis, quae dicas colores,
 aromata, odores, quibus nisi dulce afficiatur
 ani-

animus humanus, inhumanus & ferus sit. Quae omnia sine Rhetoricae artis cognitione (licet Suffeno alicui parvi pendatur) nemo feliciter leget, minus intelliget, minime imitabitur. Ad cuius scientiam hauriendam Theoria & Praxi, praeceptis & usu, mediis ad omnium artium aditus perducentibus, summopere opus est. Adeo enim humanum ingenium viribus exhaustum est, ut nisi arte & exercitatione assidua excoleretur, nunquam resarciretur. Theoria praeceptis veris, Theoria homogeneis, reciprocis, atque ordine dispositis fundatur, quae immotum praebent fundamen- tum, quo quis tuto & facile inniti possit. Ca- etera quae non eiusmodi forma praestant, areno- sa sint, labyrinthea, incerta, dubia, confu- si, intricata, necesse est, quibus aequae ac ven- tis, certo considerare est certum. Praxis in cogni- tione variorum exemplorum, ac consimi- lium effictione & exercitatione consumma- tur: Haec Genesis, Analysis illa dicitur, haec illi normam suppetit, sine qua nemo artifex ar- tem imitabitur. Nam ut Comicus ait

Praxis.

Nunquam ita quicquam bene sub-
ducta ratione ad vitam fuit

Quin res, ætas vsus semper aliquid ap-
portet noui.

Aliquid moneat, vt illa, quæ te scire
credas, nescias.

Imo præcepta sine vsu sunt mortua. Quæ
duo sunt tramites ad metam huius artis per-
tingendum. Verum enim verò, vbi queran-
tur quomodo inuestigentur, quando tandem
inueniantur, quis dubitando querat? Hic o-
pus prudenti Paride, qui sententiam ferat
veram, hic Apolline certo, qui certum re-
sponsum edat, opus. At qui cum præcepta ve-
ra & necessaria, essentialia & homogenea:
Catholica & reciproca in singulis artibus,
quantum natura rerum permittat, expeten-
da, quis dubitet vnicum eum, artium inge-
nuarum Phœnicem P. Ramum eiusq; commi-
litionem A. Taleum summis vigilis, longoq;
rerum vsu eadē in Rhetoricis elaborasse, scho-
lis demonstrasse. Quod veritas ipsa non au-
toritas αὐτὸς ἕφα tuebitur, ipsa iudicabit, alio-
rumque sinistra iudicia ipsa vindicabit. Quo-
rum vterque, alter tamen elimatius, veri-
tatem præceptorum Rhetoricorū nudè, verè,
rotundè, breuiter, neruosè, vsu illustrium ex-
emplorum illustratā, velut in speculo conspici-
endam

endam proposuit, quasi adolescentuli legitimè discant, sperent se aliorum tricis expeditas, secundo vento peruenturos eò, quo aspirent. At reperiantur forte quam plurimi qui intimis animi suspiriis eò contendant. At, dolor, ignorantiam, quo vertant sese, quibus auxiliis, quo duce? vestigia vident, comites adsistunt, Pegaso destituuntur. Ars brevis, via longa, quando ductore & præceptore deficiunt, qui tritis & notis vestigiis præeat, & rectè ad finem perducatur, ne utrinque, in via ignota cliuis impingant, errent, hæreant, aut retrogradi, spe deiecti, iter susceptum deserant; qui iis præcepta proponat & declaret, veritatem eorum demonstrando, falsitatem refutando; utilitatè exemplis selectis illustrando.

Hic labor hic opus est, iter hoc tenuère beati.

Desideriis itaque eorum, qui plerumque viuis magistris priuati, aliquantulum ut satis fieret, imitatus aliorum exemplum, qui aliis in artibus idem præstiterint, telam præceptorum Rhetoricorum à Taleo seu potius Ramo (qui enim subtiliter factum emendat, laudabilior est eo qui primus inuenit, Iustinianus ait) contextam retexui, & declaravi,

ut primo intuitu *ad id dicitur* forte nihil late-
 ret, si obscurū videatur aliquid, aut remorari
 possit. Deinde eorundem certitudinem &
 latitudinem exemplis, quorum inductione
 inuenta & confirmata, illustravi, quæ ex poe-
 tis Virgilio cum primis poetarum principe,
 Horatio, Catullo, Ouidio, Terentio: Ex Ci-
 cerone oratore & eloquentia parente: atque
 sacris literis decerpsi, ea quæ tenero ingenio
 sint facilia intellectu, quæ discendo, simul pu-
 ritatem addiscat. Cui ergo hic labor, quan-
tus est qui tamen vilis, eneruis & languidus,
nec vere laudi nec longæ vitæ natus forte ar-
rideat, ex quo fructum aliquem sibi compa-
rare opinetur, ordine eo, quo propositus pro-
grediatur, discendo primum præceptorum
definitiones, distributiones, proprietates: co-
gnoscendo declarationem: Examinando v-
sum eorum exemplis variatum, quo peracto
studio, non diffido, cum suo Marte, postea
maiori cum emolumento in lectione autorum
versari, ac certo fundamento, exemplisque
certis innitens similia imitari posse. Cui tamē
idē labor nausæa excitet, forte quod tali insti-
tutione non egeat, vel maiora è sua ipsius su-
pellectile venditare possit, ei merito gratula-
 mur

mur & fauemus. Rogamus tamen ut mordaci denti & liuori temperet.

Non omnia possumus omnes

Naturæ sequitur semina quisque sua.

Sunt hæc simplicia, fatemur. Simpliciter latissima planissimaq; est disciplinarum via,

Scaligero teste 1. poet. 34. Scripta tyronibus,

non pilosis & exercitatis. His, beneuo-

le lector, utere fruere tantisper,

donec dies meliora de-

derit. Vale.

Jacobus Crenecarpus.

A. M.

Quid Rhetorica?

RHETORICA est ars benedicendi: cuius virtus prudēter adhibita, mirabiles effectus habet.

Hoc primum præceptum constat definitione, eiusque commendatione ab effectu. Definitum deriuatur à græco verbo antiquo *ῥήω*, unde *ῥήσις* dictio, *ῥήμα* verbum. A *ῥήω* dubitatur, an deduci possit? Si tamen inde deducatur, notatio ab effectu dependet, quod Rhetorica dulci susurru quasi fluminis id est ornamentis, animos hominum cura & affectib. sopitos delectet, excitet, & recreet.

Definitio constat genere & forma.

Genus est ars, quod continet causas communes. Est verò ars comprehensio methodica præceptorum scientificorum. Estque vel Generalis vel Specialis. Specialis, quæ vnicum definitum subiectum habet. Generalis, quæ in Ente & non Ente, id est rebus fictis & veris, pariter & æqualiter versatur.

Materia ergo Rhetorices, quam ab arte accipit, sunt præcepta vera, homogenea & catholica, quæ quid sint, in logicis erudimur.

Nec putet quis, hanc materiam, uti reliquarum artium omnium, sensibus obiectam esse, sed tantum mente concipi. Qualis etiam reperitur

ritur in Entibus diuinis. Res etenim absque materia, formæ particeps fieri nequit.

Forma consistit in methodica illorum præceptorum dispositione, quæ à generalibus & primo notis, per subalterna, ad specialia minus nota, ordine progreditur, quæ in toto Systemate Rhetorico consideratur & intelligitur.

Efficiens est ipse DEVS: deinde homines eloquentes à Spiritu diuino afflati & adiuti.

Finis est restauratio muneris dicendi à Deo olim concessi.

Subiectum quod ex distinctione artis colligitur est Ens & non Ens. Nulla enim est materies, siue vera siue ficta, siue corporea siue incorporea, quæ oratione ornata illustrari & pronuciari nequeat. Quod testantur sacræ literæ, historiæ, orationes & poëmata. Et hæc de causis & subiecto communibus ex genere deductis: Forma propria sequitur, cum fine coniuncta, quæ est benedicere, qua Rhetorica distinguitur, primû à Grammatica, cuius forma bene loqui: loqui enim puritatis est, dicere verò ornatus: deinde à reliquis artibus omnibus, præsertim à logica, cuius forma bene disserere, quæ proinde & persuadere & fidē facere (quod vulgò forma & finis huius artis dicitur) complectitur, siquidem persuasio absque argumentorum virtute effici nequit.

Finis denique iisdem particulis continetur, cuius gratia vt nempe benedicere possimus, Rhetorica inuenta est.

Finis enim & forma interdum re sunt eadem, ratione discrepant, vt calcei perfectio est finis suentis, eademque forma calcei, diuerso tamen respectu & modo arguendi.

Ex his omnibus colligitur Rhetorem eum esse artificem, qui benedicit, siue sit puer, siue vir, siue fœmina, malus vel bonus, quod tropis & figuris, voce & gestu absoluit.

Effectus huius artis est mirabilis in auditoribus motus excitare. Nullum enim pulchrius decus, nulla suauior harmonia, quam oratio ornata, quæ beneficio troporum, figurarum actionis, & pronunciationis, formam aptè & prudenter acquirit. Vt ita non opus sit aliis foràs accersitis præceptis, de decoro, quod potius logices: de affectibus, qui Ethices: de tribus causarum generibus sublimi, mediocri, humili. Sublimitas enim, & mediocritas, non in præceptis Rhetoricis, quæ semper eadem: sed in rebus subiectis vertitur, quæ variant. Vt res comædiæ submissior est materiâ tragædiæ: materia Epici carminis & lyrici quam Elegi: orationis quàm epistolæ sublimior &c. Idem tamen tropus: eadem figura vtrobique.

C A P V T I I.

Quot partes Rhetoricæ?

Sunt duæ: Elocutio & Pronunciatio.

Definitione generalissimo artis præcepto præmisso: sequitur vno gradu inferior, distributio

butio in partes, vbi vocabulum partis vsu tropico approbatum pro membro sumitur.

Sunt ergo duo membra Elecutio & Pronūciatio, quibus Rhetorica integra, veluti homo corpore & animo absoluitur & consumatur. His membris itidem duo generalia officia huius artis continentur, bene nempe eloqui & pronuntiare. Hæc membra fundamentum suum ex vsu accipiunt. Sunt verò neque plura, neque pauciora quam vsu offeruntur in vnaquaque arte, membra constituenda.

Cæteræ quæ huc vulgò referuntur partes Inuentio, iudicium, Memoria &c. ad logicam pertinent. Vt enim singulæ artes subiecto proprio, forma & fine distinguuntur: sic aliena præcepta ad sua domicilia postliminio remittunt. Ita vt quæ hætenus in aliena potestate fuerint, ius suum, & ciuitatem propriam recipiant. Quod cur & quomodo fieri soleat & debeat, aliàs demonstratum est: hic breuitatis studio non repetitur. Vnica saltem regula hic teneatur: Artium præcepta, subiecto & forma esse distincta, vsu coniuncta.

C A P V T. III.

De Elocutione.

Elocutio est exornatio orationis.

Partes eius sunt Tropus & Figura.

Elocutio cum naturæ ordine sit prior pronuntiatione, siquidem nihil pronuntiaripotest.

test, nisi elocutione fuerit antea exornatum, primo libro præmittitur. Definitio eius constat Forma, Fine & subiecto.

Genus seu Materia cum adhuc ex proximo documento satis nota sit, consultò præteritur, quæ si addatur, hisce verbis concipitur. Elocutio est pars Rhetoricæ exornandi orationem.

Forma & Finis est exornare orationem, per hoc enim existit, & ab alia (quæ vulgò dicitur elocutio grammatica æquiucè non in ornatu sed puritate consistens) distinguitur, & huius gratia constituitur.

Subiectum est oratio quæ pura & simplex intelligatur, constans puris vocibus, earumque apta constructione, quæ deinde luminibus Rhetoricis expolitur.

Distributio elocutionis sumitur ab effectis, quod alia sit tropica, alia schematica: hæc parit figuras, illa tropos. Vtriusque communio in munere orationem exornandi consistit: differentia in singulis verbis: ac toto orationis habitu.

TROPOLOGIA.

CAPVT IIII.

De Tropo.

TROPVS est elocutio, qua verbum à nativa significatione in mutuam aliam immutatur.

Tro-

Tropus veluti notior figura præmittitur, quoniam hæc non facile absque tropis, si quos habet intelligi solet, tum quia tropus simplicior, vnico verbo circumscriptus: figura pluribus.

Vox tropi, interdum morem denotans, à græco verbo $\tau\rho\pi\omega$ quod idem quod verto seu muto, descendit, & hic modum vocis mutandæ, seu vocem ipsam mutatam repræsentat.

Definitio eius genere, forma & subiecto constat.

Genus est orationis exornatio sub voce elocutionis comprehensa, quando videlicet singula & nuda verba exornat.

Forma vnâ finem complexa, est propriam natiuam & simplicem verbi significationem in aliam mutuam, cognatam & vicinam transferre.

Subiectum est vnica tantum vox, siue sit nomen adiectiuum, substantiuum, verbum, aduerbium &c.

Notio.

Verbi significatio est, & esse potest, vel propria vel tropica, quod autor confirmat in cap. 14. infra de figur: dum dicit, vocū alia est propria, alia modificata. Itē in Ciceroniano fol. 77.

Propria significationis verba sunt, quæ propriè rerum naturam denotant ex arbitrio hominum & consensu profecta, vsuque stabilita, à quibus si cætera ducta sint, tropica & alienæ

significationis erunt. Sicuti res propriis differunt formis: ita & verbis quæ earum notæ distinguantur.

Mutatio verbi non in quamcunque significationem fit, sed in mutuam, id est cū quain mutua affectione esse queat. Veluti si causa in effectum, subiectum in adiunctum & contra: contrarium in contrarium, simile in simile, totum in partem & contra mutatur. Deinde neque quouis modo, sed eo tantum, qui usu & recta ratione in scriptis bonorum autorum approbatus est, aut consimili ratione & analogiâ in imitatione probari poterit. Pallas enim ut sit ædificiorum inuentrix Eclog. 2. & Ceres legum. Ouid. Metap. 5. haud tamen pro arcib. & legib. vtramque poni memini.

Relatio eiusmodi non semper necessaria & reciproca, sed quouis modo probabilis esse solet. ut Pallas sumatur pro oliua, pro sapientia & fortitudine; Apollo pro sapiente oraculo & templo suo.

Eclog. 3.

Eris mihi magnus Apollo.

Aeneid. 2.

Quem poscat Apollo.

Aeneid. 3.

Nautis aperitur Apollo.

Non vero contra. At tamen interdum fit reciprocatio, ut vinum pro patera, & contra patera pro vino.

Virg.

Virg.

Crateras lati statuunt, & vina coronant.

Nunc pateras libate Ioui.

Postremò tropus interdum variis significacionibus explicari potest, quarum quæ optima, & menti scriptoris magis conueniens, eligenda est, vt si dicitur, Christus est agnus DEI, vox agnus, vel victimam significare potest, per Synecdochen vel per metaphoram, quod Christus instar agni patiens mortem subiturus.

Eclog. 10.

Non canimus surdis, respondent omnia syluæ.

id est pastores vel echo.

Vbicunque tamen fieri potest, retinenda est propria significatio.

Aeneid. 2.

Instar montis equum diuina Palladis arte

Ædificant. Hic enim ædificare & Pallas proprie accipiuntur, vt in sequenti Fauonius.

Horat.

Soluitur acris hiems, grata vice veris & Fauoni.

Causæ tropi externa.

Causæ tropi sunt duæ communes, ad quas vsu respiciamus ne temere luxuriemur. Nempe Inopia & voluptas.

Nam quoniam plures res sunt, quæ ab initio mundi conditæ & in dies artificio humani ingenij excogitantur: nomina vero rebus imponenda pauciora, propterea homines angustiis

verborum coacti, rerum nomina propria, aliis rebus ἀνονόμοις, potestate & ductu troporum modificata imposuerunt.

Eiusmodi mutationes, tam in sacris literis, cum Deus de sua natura, more humano ad nostrum captum loquitur, quàm in aliis scriptis auctorū & iplis artibus sunt frequentissimæ. vt

Virg. 1. Georg.

*Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro.*
id est Signa cœlestia quæ propter similitudinē, taurus & canis appellantur, quæ propriè animalia.

Altera causa est delectatio & voluptas.

Vt enim vestis, frigoris causa depellendi, primò reperta est, post adhiberi cœpta, ad ornatum & dignitatem: sic modificatio est instituta inopiæ causa, frequentata delectationis.

Delectatio fieri solet in duplici subiecto.

Primò hic capit voluptatem, qui propriis verbis affluens, vtitur tropicis. Est enim ingenij specimen transilire ante pedes posita. Deinde ille qui audit modificationem vocis, tenet quidem eius significationem propriam, at statim ex contextu alium colligit sensum, vnde quasi à scopo declinare videtur, nec tamen declinat, quæ summa delectatio. vt,

Attri-

At tribus exactis, ubi quarta accesserit estas,
id est quartus annus ubi facile Poëta propriis
verbis uti potuisset.

At tribus exactis ubi quartus venerit annus.

Mandit humum, moriensque suo se in vulnere
versat, id est sanguine.

C A P V T. V.

De affectionibus Tropi.

Affectiones sunt κατάχρησις & ὑπερβολή: μετα-
ληψις & ἀλληγορία.

Κατάχρησις durities & inaequalitas verbi.

ὑπερβολή audacia.

Μετάληψις plurimum in verbo troporum im-
plicatio.

Αλληγορία troporum continuatio.

Tropus licet requiratur ut verecundus sit, ut
spontè venisse non coactè videatur: quia tamen
hæc lex non adeo strictè usu observari potest,
fit interdum ex quadruplici actione καταχρηστικός,
ὑπερβολικός, μεταληπτικός & ἀλληγορικός. Et hæc affe-
ctiones rarius in illo: frequentius in hoc modo
reperiuntur.

Κατάχρησις ἀπὸ contra, & χησις vsus, latinè
abusio dicitur, quæ tropum significatione du-
riori, longè & minus aptè petita afficit.

Aeneid. 2.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Hic sperare pro timere sumitur, per ironiam
catachresticam: Speramus enim bona, timemus

mala. Ita Rom. 7. dicitur peccatum lex, quasi quod instar legis nobis imperet, per metaphoram carachresticam. Ita ἐκὰ πόμβη agnorum, ster-
cus curiæ: Castrata respub. Jupiter hibernas
cana niue conspuit Alpes.

ὑπερβολὴ dicitur ab ὑπερβάμω, id est superiicio, quod nempe verbi significationē audacter ex-
superet vel minuat. Vnde duplex constitui po-
test: alia excessus, alia defectus.

Excessus speciatim dicatur hyperbole vel proprio nomine αὔξησης. Defectus dicatur μείω-
σις seu ταπίνωσις. Vt,

Aeneid. 1.

-- *Ingens à vertice pontus*

In puppim ferit. id est pars ponti seu ingens
fluctus.

Apparent rari nantes in iurgite vasto. id est
ingenti mari, à qua tamen significatione Scali-
ger dissentire videtur. Sed alia sunt exempla. ve-
luti si verruca pro monte: homicidium pro la-
trocinio. Montes belli.

Horat. de parasito.

Pernicies & tempestas barathrumq; macelli.

Rhetorica ergo ὑπερβολὴ non in integra sen-
rentia, vt in logicis comparationibus fieri solet
fidem excedentibus, sed in vnico verbo conti-
netur.

Ouid. 5. Trist.

*Tot mala sum passus, quot in aethere sydera lu-
cent,*

Parnaq;

Paruaque quot sicca corpora puluis habet.

Quin & hyperbolicum argumentum extra comparat: inuenitur.

Vos coryli & vos flumina testes.

Vix ossibus haerent.

Μετὰληψις à μεταλαμβάνω, id est aliud ex alio fumo, siquidem gradatim tropos vnico verbo conclusos extricat & enodat. Et accipit tropus denominationem à Metalepsi, qui vltimus est in resolutione.

Georg. 1.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.

Hic Euphrates fluuius denotat Mesopotamiam per metonymiam vel Synecdochē. Mesopotamia incolae; Incolae Mesopotamiam denique populos Orientis per Synecdochen speciei, vnde dicitur Synecdoche metaleptica.

Ita Sueton.

Cæsari multi inerant Marii; Ex Mariis, intelligitur Marius. Ex Mario animus eius, ex quo tandem animus Cæsaris similis animo Marij per metaphoram metalepticam.

Allegoria ab ἄλλο & ἀγορεύω dicitur, quod aliud loquatur, aliud significet, quæ fit ex cumulo & continuatione multorum troporum siue eiusdem generis, siue diuersi.

Effectus eius est plerunque tropis continuatis sententiam reddere obscuriorem.

*Iuvenal. Sat. 2.**Dat veniam coruis, vexat censura columbas.*

Hic duę metaphore cōcurrunt sensum peregrinum, & obscurum innuentes. Per coruos intelligimus homines sceleratos, per columbas simplices & innocentes. Hi pœnam luunt, isti veniam merentur.

Est ergo allegoria tanquam communis affectio, omnibus tropi speciebus assignanda, licet vsus eius hic frequentior, illic rarior reperiat.

Et huc sunt referenda prouerbia & adagia, modo verbis aliud exprimant, aliud sensu significant: si vnico tropo vel plane nullo contēt, huc referri nequeunt, vt: *Asinus inter simias, Simplex inter nasutales: Artem quæuis terra alit.* Contrà verò *Ænigma* puro sermone constans minus rectè ad allegoriam accommodatur vt,

*Virg.**Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,**Tres pateat cœli spacium non amplius vlnas.*

Obscuritas enim non solum in verbis, sed etiam in rebus ipsis esse solet. Ineptius ex allegoria mutilatum enthymema fingitur.

Geor. 2.

Et iam tempus equum fumantia soluere colla.
id est, iam finem imponam libro. Quasi in singulis

gulis argumentis vis mutuæ relationis allego-
riam pariat & enthymema, vt sol ortus, Ergo
dies. Panis est, ergo Siligo.

Estque hic tenendum in Genesi vt quo ge-
nere rerum allegoria cœperit, eodem desinat:
vt interitum Reipub. descripturus allegoricè
per naufragium, eodem incipiat & desinat.

Denique obseruandum in analysi allegoria-
rum, vt ne, quod neque ad rectæ rationis iudi-
cium, neque ad fidei proprietatem spectat, in
sensum detorqueatur allegoricum.

C A P V T V I.

De Tropi speciebus.

SVNT tropi species quatuor: *Metonymia,*
Ironia,
Metaphora & Synecdoche.

Metonymia est tropus consentanei ad cõ-
sentaneum.

Estque causa & effecti: subiecti & adiun-
cti.

Metonymia causa quando causa ponitur
pro effectu: Estque vel efficientis, vel
materia.

Absolutis tropi affectionibus communibus,
eius species quatuor traduntur, quæ in duo ge-
nera concludi possunt. Primum continet Me-

tonymiam & Ironiam, alterum Metaphoram & Synecdochen.

Quando enim formæ specierum, non solum à nobis sæpe ignorantur, sed etiam vera earum nomina desiderantur, Species bis binæ pro duobus generibus collocari solent, vt ab Aristotele factum. Habitus & dispositio: potentia & impotentia.

Sunt verò neque plures neque pauciores: siquidem omnis propriæ significationis immutatio promanans ex causis ad effecta, ex subiectis ad adiuncta, ex oppositis ad opposita, ex comparatis ad comparata, ex toto ad partem contraque, est metonymia, ironia, metaphora & Synecdoche.

Omnis autem tropus est eiusdem propriæ significationis immutatio in verbo ex causis ad effecta. Itaque omnis tropus erit metonym. iron. metaph. synecdoch.

Deinde omnis simplicis verbi significatio mutari potest argumentis tantum simplicibus & primis, quæ sunt causæ &c. dissentanea & cõparata: aut inde ortis, modò vnico verbo exprimi possint, vt sunt totum & pars. Quare ex his solis metonym. ironia &c. proficiscentur.

At reliqua argumenta, definitio & testimonium, quia simplici dictione non exprimuntur, tropi naturam haud induent.

Nec, licet coniugata & notatio vnico constant verbo, quia tamen sunt circumstantiæ nomi-

nominis non rei signatæ, quæ in tropis requiritur, tropum ingrediuntur.

Porro ordo troporum dispositorum ab origine eorum dependere videtur.

Metonymia definitur ex genere, subiecto, & forma.

Genus est tropus siquidem in vnico verbo consistit, quod à significatione natiua in aliam immutat.

Subiectum est vox argumentum referens consentaneum.

Forma dependet à consentanei mutatione ad significandum suum relatum consentaneum.

Dicitur à $\mu\epsilon\tau\acute{\alpha}$ & $\acute{\omicron}\nu\omicron\mu\alpha$, trans & nomen, quasi transmutatio, cum primum \omicron mutatur in ω , alterum in υ .

Vocatur aliàs $\iota\pi\omicron\delta\mu\alpha\chi\eta$, quasi, quæ verba submutat pro verbis, quando ordine inuerso intelliguntur. Estque nihil aliud, quam dura metonymia, secundi generis præcipua.

Aeneid. 3.

Dare classibus austros.

Cic. pro Marc. Marcello.

Non vidimus in vrbe gladium vagina vacuum, id est dare classes austris: Vaginam gladio vacuum. Vbi quod est subiecti tribuitur duriusculè adiuncto. Nec obstat quod vtrumq; verbum tropicum expressè ponatur, modo vtriusque significatio transmutetur, i.e. dū alterū

significat alterum. Et neminem offendat mentionem fieri hic vocabulorum logicorum. Neque enim definiuntur & distribuuntur, sed quasi per se nota ex mentis luce naturali assumuntur. Artium enim præcepta non adeò accurate & scrupulosè inter se distinguuntur, quin interdum artis alienæ minima particula, ad aliam accommodetur artem.

Distribuitur metonymia in quatuor species, quæ sub duo genera concludi possunt. Primū continet consentanea absolutè: alterum quodammodo, nudè tot species metonymiæ quot argumenta consentanea.

Metonymia causæ definitur quod designet suum effectum siue verum siue fictum. Vbi notandum vocabulum causæ per Synecdochen intelligi proprio deficiente, & complecti tantum eas causas, quæ tropicam patiuntur significationem, efficientem nempe & materiam.

Forma & finis modificationis expertes sunt, quia 1. vix vnico verbo exprimi possunt, 2. difficiles inuentu, 3. vsu non approbatæ, qui artium magister est.

Nec refragatur dictum Ezechielis 18. Anima quæ peccauit ipsa morietur. Vbi anima tantquam forma hominis accipitur, quæ tamen potius membrum hominis constituat, vt ita ad Synecdochen, prædictum exemplum referatur. De vera hominis forma, prudens aliquando Paris ferat sententiam.

De Metonymia efficientis.

EFFICIENTIS metonymia est cum efficiens ponitur pro effectu.

Genus huius tropi cum definito exprimitur, quod voce singulari destituitur.

Subiectum ex vox efficientem denotans, nō solum (at potissimum) inuentorem & auctore, sed etiam aliam, at instrumentum quod tamen & aliò refertur.

Forma est significare ex voce efficiētis aliam effecti.

Exempla. Ouid.

Cuius ab alloquiis, animas hac moribunda reuixit,

Vt vigil, infusa Pallade, flamma solet.

Terra ferax Cereris, multoq; feracior uuis,

Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager.

id est fruges & oleam. Ceres enim frumenti: Pallas oleæ inuentrix creditur, & hæc pro oleo, metalepsis.

Aeneid. 12.

Cui tolerare colo, vitam, tenuique Minerva,
id est lanificio cuius inuentrix Minerva fingitur.

Aeneid. 8.

Dona laborata Cereris Bacchumq; ministrant,
id est vinum.

Georg. 1.

*Aut dulcis musti Vulcano decoquit humo-
rem.*

Aeneid. 2.

Vulcano superante domus. id est igne.

Georg. 2.

*Et Venerem certis repetunt armenta diebus,
id est coitum.*

*Et iam maturis metuendus Iuppiter vis, id
est varia aëris constitutio & tempestas.*

Horat.

*Dignum Musæ virum laude vetat mori. id est
ars, poësis.*

Georg. 3.

*Ætas liticinam, iustosque pati Hymeneos. id
est partum coitumque.*

Aeneid. 3.

*Tres adeò incertos cæca caligine soles,
Erramus Pelago: totidem sine sydere noctes.
id est dies & luce syderum.*

Georg. 1.

*Bis quæ solem, bis frigora sensit. id est calorem,
& hic pro æstate intelligi videtur.*

Aeneid. 8.

*Viridesque secant placido æquore Sylvas,
Sylvæ pro umbris & imaginibus in flumine à
sylvis redditis, quasi sic Poëta dixisset, adeò flu-
men perspicuum fuit, vt imagines Sylvarum in
eo ap-*

eo apparerent, quas Troianorum naues & remi quasi secuerunt: estque hyperbole.

Aeneid. 2.

Regina è speculis ut primum albescere lucem Vidit, id est omnia albescere à luce. Lux enim per se non albescit, sed albescere cætera facit. Estque hypallage.

Horat. 1. Oda. 6.

Pelida stomachum cadere nescii, id est stomachus pro bile, bilis pro ira, & hæc pro fortitudine Metalepsis.

Metalepsis

Item 1. oda 13.

Da meum feruens difficili bile tumet iecur,
id est ira.

Terent.

Metonymia efficiens

Sine cerere & libero friget venus, id est sine cibis, vino, amor languescit.

Sine pane

& vino amor

ambulat siccus,

nihil e darrige

vel s.

Næuius: Cocus dedit Neptunum, Venerè, Cererem, id est pisces, holera, panes.

Cic. pro Marco Marcello.

Dolebam patres conscripti ac vehementer angebar cum viderem talem virum, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse Fortuna.

Fortuna Dea felicitatis accipitur pro felici statu. Item.

Quos amissimus ciues, eos Martis vis percussit non victoria.

*Aeneid. 7.**Martia qui ob patriam pugnando vulnera
passi.**Iohan. 5.**Nolite putare, quod ego accusaturus sim apud
patrem, est qui accusat vos Moses. id est lex
Moisis.**2. Corinth. 3.**Hodie cum legitur Moses.**Ioel. 2.**Effundam spiritum meum super omnem car-
nem: Vbi dona Spiritus sancti & ipse spiritus in-
telligi possunt. Instrumentum pro re quæ eo
fit.**Psal. 22.**Eripe à framea animã meam. id est à mortè.**Eclog. 10.**Vestra meos olim si fistula dicat amores, id est
carmen quod fistula canitur.**Interea Aeneas urbem designat aratro, id est
Sulco.]*

CAPVT VIII.

De Metonymia materiæ.

MATERIÆ metonymia est, cum mate-
ria ponitur pro materiato.

Genus est metonymia.

Subiectum est vox materiã significãs forma
non dum instructam.

Forma

Forma est significare ex voce materiae rem materiataam.

Alij materiam pro forma poni putant opinionone ducti, quod a materiato forma abesse nequeat, cum tamen materia ratione relationis respiciat materiatum effectum: neque ex materia sola forma, sed materiatum intelligatur, cui forma inhaeret.

Exempla. Eclog. 1.

Syluestrem tenui musam meditaris auena.

Eclog. 6.

Agrestem tenui meditabor arundine Musam.

Ecl. 5.

Tu calamos inflare leues. id est fistula ex auena calamis facta.

Georg. 1.

Vt gemma bibat & sarrano dorminat ostro, id est poculo ex gemmis & lectulis ostrotinctis.

Poculaque inuentis Acheloia miscuit unis, id est vino.

Aeneid. 10.

Vobis picta croco & fulgenti murice vestis.

Horat. 4. oda 11.

Ridet argento domus.

Georg. 1.

Et moestum illacrymat templis ebur, aeraque sudant. id est statuæ eburnæ & aenæ.

Aeneid. 10.

Ductores auro volitant, ostroque decori.

Velati lino & verbenae tempora cincti. id est allegoria.

Horat. 1. Epist. 2.

*Non domus & fundus, non acris aceruus, &
auri,**Ægroto Domini deducit corpore febres.*

Aeneid. 3.

*Certum est dare lintea retrò,**Tumidoque inflatur Carbasus Austro.*

Aeneid. 4.

Vocat iam Carbasus auras. id est vela.

Aeneid. 5.

*Velat materna tempora myrto.**Flauumque caput nectuntur oliua.*

Aeneid. 6.

*Atque umbrata gerunt ciuili tempora quercu.**id est fertis ex myrto, quercu.*

Aeneid. 8.

*Labitur iuncta vadis abies.**Manum pinu flagranti feruidus implet.*

Ouid. 2. Art.

*Mediis tua pinus in undis Nauigat, id est
pinus pro nauis & facibus.*

Aeneid. 9.

*Fata mihi ferro, sceleratam excindere gentem.**id est armis.*

Aeneid. 10.

*Non ulli est animus stricto concurrere ferro.**id est gladio.**Flectere ludus equos & spicula tendere cornu,
id est in arcu corneo, in Plauto sumitur pro la-
terna.*

Vulca-

Vulcanum in cornu geris. estque allegoria diuersi generis.

Immanem arato circumfert tegmine sylvam,
id est ingens scutum, hyperbole.

Genes. 3.

Terra es & in terram conuerteris.

Abacuc. 3.

Trepidabunt pelles terræ Madian, id est tabernacula.

Iohan. 2.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua. id est Baptismo.

C A P V T IX.

De metonymia effecti.

METONYMIA effecti est cum ex effectio efficiens significatur.

Sicuti in logicis effectus causam: ita hic metonymia effecti, sequitur metonymiam causæ.

Genus cum definito exprimitur, estque metonymia.

Subiectum est vox effectum denotans, quod potissimum est in relatione efficientis.

Et sicuti instrumentum ad metonymiam efficientis, ita hic res instrumento producta, ad hanc metonymiam effecti refertur.

Forma est ex effecto significare efficientem.

Vsus huius tropi apud Poëtas & Oratores frequentior in adiectiuis, quam substantiuis:

C

at in his, apud sacros scriptores quam in illis illustrior reperitur.

Exempla.

Virg. Georg. 1.

*Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.*
Sulcus sumitur pro aratione.

Aeneid. 10.

Vulnera dirigere & calamos armare veneno,
id est iacula seu tela quibus vulnera efficiuntur.

Horat. 1. epist. 7.

Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra,
id est umbraculo quod umbram reddit.

Genes. 25.

Dua gentes sunt in utero tuo. id est duarum gentium autores: Esau & Iacob. estque hyperbole.

3. Reg. 4.

Mors est in olla. id est Colocynthis sylvestris quæ afferat mortem.

1. Corinth. 1.

Christus factus est nobis sapientia, iustificatio, sanctificatio, redemptio, id est redemptor Sanctificator &c. seu redemptionis autor.

Et hæc in substantiuis.

Horat. 4. od. 7.

*Pomifer autumnus fruges effuderit & mox
Bruma recurret iners.*

Bruma iners dicitur, id est ignava per metaphoram

phoram: deinde non quod ita sit, sed homines ignavos reddat, metalepsis est.

Aeneid. 1.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus.

Aeneid. 6.

Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus, id est morbi qui homines pallidos reddunt: & tristis senectus quæ tristes, vnde allegoria.

Aeneid. 9.

Quantus ab occasu veniens pluviis hædis.

Cic. Agr. 2.

Nolo suspensam & incertam plebem Romanam obscura spe & cæca expectatione pendere, id est obscura & cæca expectatio dicitur pro dubia & incerta: deinde quod reddat homines dubios & ignaros, vnde metalepsis.

C A P V T X.

De metonymia subiecti.

SUBIECTI metonymia est, cum ex subiecto significatur adiunctum.

Primum genus metonymiæ ex absolute consentaneis consistit, alterum sequitur, quod ex quodammodo consentaneis constat subiecto nempe & adiuncto.

De subiecto prius dicere ordo postulat,

Genus huius tropi notum est.

Subiectum est vox subiecti.

Forma ex eadem significare adiunctum, cum

quo in mutua affectione esse potest, tam cōtingenti quam necessaria.

Modi, plenioris intellectus causa, huius metonymiæ distingui possunt, qui tamen forma iidem.

1 Continens ponitur pro contento, veluti poculum pro vino: qui modus falsò ad Synecdochen refertur, cū vini natura à poculo quod forte ex auro constat, plane sit aliena, sed tantum quodam modo consentiat cum poculo.

2 Locus pro rebus locatis, siue sint incolæ, siue aliæ quæcunque actiones & negotia, quæ in loco perficiuntur, veluti vrbs pro ciuibus: Schola seu templum pro concione & arte, quæ ibi exercentur.

3 Possessor pro re possessa, quam occupat veluti homo pro suis opibus.

4 Dux belli pro exercitu, vt Turca pro militibus suis.

5 Aduocati pro clientibus.

6 Tutores & curatores pro pupillis.

7 Vox temporis pro rebus istis, quæ in tempore fiunt. Tunc enim relationem tanquam subiectum ad adiunctum assumit.

Siquidem varia & mutabilis argumētorum affectio. Et qui sunt alij modi.

Exempla. Eclog. i.

Formosam resonare doces Amaryllida syluas.

Aeneid. 4.

Agit ipse furentem in somnis ferus Aneas.

Aura-

Aeneid. 10.

*Aurato fulgebat Apolline puppis. id est ex carmen
de Amaryllide: imago Æneæ & Apollinis.*

Ouid. 3. amor.

*Tityrus & segetes, Aeneiaque arma legentur
Roma triumphati dum Caput orbis erit*

Eclog. 2.

*De cælo tactas memini predicere quercus, id
est aëre & hoc pro fulmine, Metalepsis.*

Aeneid. 5.

Et cæli toties deceptus fraude sereni.

Aeneid. 6.

Præpetibus pennis ausus se credere cælo

*It cælo clamorque virum, clangorque tubarum,
id est serenitatis & aëri summo, hyperbole.*

Georg. 4.

*Per populos dat iura, viamque affectat olympo,
id est olympus pro cælo, & hoc pro diuinis ho-
noribus, Metalepsis.*

Horat. 1. od. 3.

Nil mortalibus arduum est

Cælum ipsum petimus stulticia. id est superos.

Eclog. 7.

*Solstitium pecori defendite, id est pro summo
solis æstu, fitque ὑπαλαγή, quod enim est subie-
cti tribuitur adiuncto, vt sensus:*

*Depellite pecus à Solstitio, id est ex solis æ-
stu, vbi & metalepsis, intelligitur solstitium æ-
stiuum.*

Georg. 2.

*Floret ager tibi Pampineo gravidus Autumno
id est, vindemia.*

Aeneid. 4.

*Oculis aut pectore noctem Accipit, id est som-
num.*

Eclog. 8.

Rursus concedite sylvæ, id est venationes.

Aeneid. 2.

Inuadunt urbem vino somnoque sepultam.

Aeneid. 8.

*Qui reuehis nobis Troianam ex hostibus ur-
bem.*

Aeneid. 1.

*Ilium in Italiã portans, id est vrbs pro ciui-
bus: Ilium pro rebus Ilij.*

Aeneid. 4.

*Non licuit thalami expertem sine crimine vi-
tam**Degere, more fera, id est matrimonij,*

Aeneid. 5.

Aris factus honos.

Ouid. 1. amor. 21.

Accipit ara preces votivaque thurapiorum.

3. art.

Adiicis & rapidis tradis ouile lupis.

Horat. 1. od. 17.

*Olentis uxores mariti**Nec virides metuunt colubros,**Nec Martiales hædilia lupos, id est Ara pro di-
is, ouile, hædile, pro ouib. & hædis.*

Quis-

Aeneid. 5.

Quisque suos patimur Manes. id est supplicia
quæ homines seu manes apud inferos proferre
finguntur.

Georg. 1.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,

Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho.

Aeneid. 5.

Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

Catull.

Minister vetuli puer Falerni

Inger mi Calices amariores. id est Fauis cellulae
ubi mel conficitur, pro ipso melle: Bacchus pro
vino, & puberes pro iuuenibus rusticis. Alleg.
ex diuersis modis: Acerra pro thure: calices
pro vino.

Georg. 4.

Et liquido ardentem perfundit nectare Ve-
stam.

Eclog. 4.

Tentare Thetyn ratibus.

Aeneid. 1.

Oceanum interea surgens aurora reliquit.

Ouid.

Quam latam Nereus carulus ambit humum.

Plaut.

Credere se Neptuno, id est Vesta pro igni. Dij
maris pro ipso mari veluti possessores. In adie-
ctiuis.

Eclog. 1.

Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Georg. 1.

Aeria fugere Grues.

Aeneid. 3.

Scelerata excedere terra. Item littus auarum.

Aeneid. 4.

Pingues spatiantur ad aras, id est vltimus aëria dicitur quod ad summitatem aëris eleuetur: scelerata terra pro sceleratis hominib⁹, Pinguis ara pro sacrificiis pinguibus in ara oblatis.

Cic.

Age verò ne semper subsellia, rostra, curiaque mediteris. id est actiones & negotia ibi habenda pro Pompeio.

Testis est Italia, Sicilia Gallia. id est Incolæ.

Cic.

Marius maximas copias repressit.

Cui non forum, non campus, non curia, nō domus, non lectus, non denique hæc sella curulis, vnquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit.

Terent. in Eunuch.

Idque adeo visam si domi est, quis nam sic à Thaidæ exit, id est domo Thaidis.

Heaut.

Quid te futurum censes, quem assidue excedent. id est opes.

Sacra sunt.

Esa. 1. Cap.

Audite cœli & auribus percipite terra.

Sio

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. 4

Iohan. 3.

Sic Deus dilexit mundum &c. id est homines.

Matth. II.

Tyrus, Sydon, Capernaum pro Incolis.

Actor. 9.

Saule quid persequeris me, id est meos qui in me credunt.

Matth. 25.

Nudus fui & non cooperuistis me.

Iohan. 3.

Quod ex carne natum est caro est, id est ex carne homo, ex homine peccatum, intelligitur quod non ipse homo est, sed ei inhaeret, metalepsis.

C A P V T. XI.

De metonymia adiuncti.

ADIUNCTI metonymia est cum ex adiuncto significatur subiectum.

Genus est Metonymia.

Subiectum vox adiuncti,

Forma ex eadem significare mutuum subiectum.

Modi sunt.

- 1 Si nomen virtutis aut vitij, intelligitur pro hominibus virtute praeditis aut vitiosis.
- 2 Cum signum pro re signata.
- 3 Tempus pro rebus subiectis.

42 AVD. TALÆI TROPOSCENÆ.

- 4 Locatum pro ipso loco.
- 5 Res possessa pro possessore.
- 6 Instrumentum pro domino ad quem refertur.
- 7 Accidens quoduis proprium pro re subiecta.

Denique posterius pro priori, modo non effectum sit, quod ad metonymiam effecti pertinet.

Falsò huc refertur periphrasis ex adiunctis desumpta, arguens descriptum aliquod, quæ integra & sæpe numero pura sententia constat.

Eclog. 1.

Maioresq; cadunt altis de montibus umbra.
Est descriptio vespere appropinquantis ex adiunctis umbris. Siquidem vesperi uti & mane umbrae sunt maiores, quam meridie.

Consimile exemplum ibidem extat.

Aspice aratra iugo referunt suspensa iuuenti.
Candida venit avis longis inuisa colubris.

Tale est & in sacris.

Cõflabunt gladios suos in vomeres & lanceas in falces, id est periphrasis magnæ pacis hyperbolica.

Exempla. Eclog. 1.

Quid domini facient audent cum talia fures.

Eclog. 5.

Nec retia cervis Vlla dolum meditantur. id est serui, & retiarij.

Georg. 2.

Illius non populi fascēs, nec purpura flexit.

Sceptris

Aeneid. 3.

Sceptraq; potitum, id est imperium & magistratus & regnandi libido.

Georg. 3.

Sub terra fodere larem.

Aeneid. 8.

Alloquere & nostris succede penatibus hospes.
id est domus.

Aeneid. 4.

Tertia messis erat, cum tu dare vela coactus.

Georg. 4.

Et multa in primis hilarans conuiuia Baccho.

Ante focum si frigus erit, si messis in herba.

Georg. 1.

Illius immensa ruperunt horrea messes. id est
Messe pro aestate & hæc pro anno & frummento:
Metalepsis

Aeneid. 3.

Meritos aris maectavit honores. id est Sacra.
Purpuream vomit ille animam, id est Sanguinem.

Caniciem galea premimus.

Aeneid. 5.

Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

Aeneid. 1.

Vela dabant leti, & spumas salis ære ruebant.

Aeneid. 6.

Cernis custodia qualis Vestibulo sedeat, id est
caput canum, Sal pro mari, custodia pro custodibus.

Horat. 1. od. 13.

Ladere oscula, id est labia.

Ouid.

Rumpere lior edax, id est liuidus & inuidus.

Catull. ad Suff.

*Suus cuique attributus est error.**Sed non videmus mantica, quod in tergo est.*

Mantica ponitur pro vitiis, quod sua q. in mantica postica homines post terga occultare dicuntur: aliena vero in antica præferre conspicienda.

Item ad Camer.

*Oramus si forte non molestum est,**Demonstres ubi sunt tua tenebra,**Te campo quasiuimus in minore,**Te in circo: te in omnibus libellis.*

Tenebræ pro loco tenebroso & occulto: libelli pro tabernis librariis, ubi homines gratia confabulandi couenire soliti.

In adiectiuis.

Eclog. 4.

Incultisq; rubens pendebit sentibus vna.

Georg. 1.

At rubicunda Ceres medio succiditur æstu,

Aeneid. 1.

Apricis statio gratissima mergis.

Aeneid. 2.

Sceleratam intorserit hastam. id est rubens vna promatura. rubor enim signum maturitatis

tis est, vti & in frugibus: Aprici mergi dicuntur, non quod ipsi sint aprici, sed aprica loca inhabitare soleant, quæ soli perpetuo obiecta, opponuntur opacis.

Eclog. 1.

Fortunate senex hic inter flumina nota

Et fontes sacros frigus captabis opacum, id est Frigus non proprie opacum dicitur, sed intelligitur in loco opaco & vmbroso fieri, ita quod est subiecti loci, tribuitur adiuncto frigori.

Terent. in adelph.

Tu quantus quantus, nil nisi sapientia es, id est Sapientissimus. estque hyperbole.

Ubi illuc scelus est qui me perdidit. id est sceleratus.

Vt illum Di; Deaque senium perdant.

Cic. pro Marcel.

Victoria ferocitatem extimescere, id est ferocem victoriam per metonymiam adiuncti, deinde quod feroces reddat homines per metonym. effecti, vnde metalepsis.

Cice. 1. Act. in Verr.

Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, auaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset. Est allegoria pro luxuriosis, crudelibus, auaris, superbis.

Sacra sunt.

Leuit. 18.

Turpitudinem matris tue non reuelabis, id est pudenda.

Mich. 7.

Iram domini portabo quia peccavi ei, id est pœnam.

Ierem. 2.

Populus meus mutavit gloriam suam in idolū, id est cultum DEI gloriosum.

Psal. 51.

Asperges me Domine hyssopo. id est Sanguine filij tui, quem significabat sanguis agni paschalis, qui intincto in eum hyssopo, aspergebatur postibus.

Rom. 3.

Omnis anima potestatibus subdita sit, id est magistratibus qui potestatem habent.

C A P V T XII.

De Ironia.

IRONIA est tropus contrarii ad contrarium.

Tropus in consensione antecessit, sequitur in dissensione, qui dicitur Ironia ab ἔρων, quod idem, quod dissimulator, irrisor, cauillator, unde latinis dissimulatio, illusio, irrisio &c. siquidem contrarium eius, quod dicit significat, plerunque illudendi & irridendi causa.

Genus est tropus, mutat enim verbi significationem propriam in aliam.

Subiectum est vox contrarij quæ à significatione rei quam denotat dissentit, eique vnicè opponitur.

Forma

Forma est eiusdem vocis immutatio in contrariam vocis alius significationem, cum qua in mutua dissensionis affectione consistit.

Excluduntur inde verba diuersa & disparata, quorum significatio in contrariam commodè transmutari nequit. In diuersis nulla est naturalis dissensio, quæ Ironiæ insit necesse est.

In disparatis vnum non vni, sed multis pariter opponitur, vnde nulla alterutrius tropica fieri possit significatio.

Etenim nemo ex arbore intelligit lapidem, vel ex lapide hominem, siquidem plura hisce opponi possunt.

Sin tamen ex lapide intelligatur homo, non quidem id fieri ratione dissensionis, sed potius consensionis in consimili qualitate consistentis animaduertimus, quod officium metaphoriæ attribuitur.

Ironia percipitur vel ex rei ipsius, vel pronunciationis dissensione, vel vtriusque, vt si herus Dauum, (qui homo pessimus) vocat bonum virum.

Species si quæ sint Ironiæ ex subiectis contrariis desumi, & affirmatione ac negatione distinguí possunt. Vnde altera Simulatio, quæ est affirmatio rei, quæ non est; altera Dissimulatio, quæ negatio rei quæ est, dici potest.

Huc pertinet paralepsis præteritio, cum quis se ea præterire ait, quæ tamen postea dicit, vt taceam, præteream: Deinde ὑπόφασις cum quis dicere se negat, quæ postea dicit vt nihil di-

cam &c. Qui modi tamen non nisi negatione & affirmatione aliquantulum distinguuntur.

Falsò huc referuntur sarcasmus, antiphrasis, mimefis.

Sarcasmus ἀπὸ τῆς σαρκός carne, est hostilis irrisio super hoste mortuo, vel iam morituro quæ absque Ironia fieri solet. vt,

Aeneid. 10.

Istic nunc metuende iace, non te optima mater,

Condet humi, patriaque onerabit membra sepulcro.

Alitibus relinquere feris, aut iurgite mersum,
Unda feret, pisces impasti vulnera lambent.

Sin habet sarcasmus ironiam adiunctam, huc referri debet, non tanquam species, sed exemplum Ironiæ.

Antiphrasis describitur quod sit dictio contrarium significans, vt Parcæ quasi minime parceant: Bellum quasi minime bellum: Lucus quasi minime luceat. Verum hæc exempla quia non aliud, quam illud ipsum quod significant, denotant, tropi naturam non assument, quin sub iudice lis est, eadem aliquid contrarii sapere. Bellum enim à græco βέλος, id est telum deducitur. Parcæ dicuntur Scaligero quod parcant: Lucus quod ab igni sacrificiorum frequenter in illo celebratorum luceret.

Si vero in verbo aliquo eiusmodi dissensio reperiat, illa potius ad grammaticam derivationem ac logicam notationem ex dissenti-

neis

neis ortam referri debet: illa vnde, hæc cur verbum deducatur inquirat.

Mimesis denique à μιμίωμι imitor describitur cum alterius gestum repræsentamus aut verba recitamus, quæ nihil tropicum continet, sed ad obliquam referenda est prosopopœiam, vt Esaiæ 56. vers. 11. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsq; ad nonissimum: venite (μιμητικῶς loquitur propheta istorum sermone) sumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras & amplius.

Si verò tali in prosopopœia inhæreat Ironia, duplex ornamentum inerit, tropi & figuræ.

Exempla.

Aeneid. 2.

Tum verò manifesta fides Danaumq; pate-
cunt,

Insidia, id est perfidia.

Dii (si qua est cœli pietas quæ talia curet)

Per soluant grates dignas & præmia reddant

Debita: quæ nati coram me cernere letum

Fecisti, & patrios fedaasti sanguine vultus.

Aeneid. 4.

Talibus aggreditur venerem Saturnia dictis.

Egregiã vero laudem & spolia ampla refertis.

Tuque puerque tuus magnum & memorabile
nomen,

Vna dolo diuum si fœmina victa duorum est.

D



50 AVD. TALÆI TROPSCHE.

id est Grates & præmia laus & spolia, magnum
& memorabile nomen, significant pœnam,
supplicia infamiam. Estque allegoria.

Iuuenal. Sat. 8.

-- *Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere & præclaro nomine tantum
Insignis. Nanum cuiusdam Atlanta vocamus
Æthiopem cygnum.*

Hic Ironia hyperbolica est in Atlante respec-
tu Nani & Æthiope respectu cygni.

Aeneid. 12.

*Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto
Semi animo lapsoque superuenit & pede collo
Impresso, dextra mucronem extorquet & alto
Fulgentem tinxit iugulo, atque insuper addit.
En agros & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens. hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare ferunt, sic moenia condunt.*

Horat. 1. Epist. 1.

*O Cives cines querenda pecunia primum est,
Virtus postnummos.*

Ouid. Helena Paridi.

*Ausus es hospitii temeratis aduena sacris
Legitimam nuptæ sollicitare fidem.
Scilicet idcirco ventosa per æquora vectum,
Excepit portu Tanaris ora suo.
Nec tibi, diuersa quamuis à gente venires,
Oppositas habuit regia nostra fores.
Esset ut hospitii merces iniuria tanti,
Qui sic intrabas hospes an hostis eras.*

Con-

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. 51

Ouid. Laod.

Conueniunt matres Phylacides, & mihi claman-
tant,

Indne regales Laodomiasinus.

Scilicet ipse feram saturatas murice vestes,
Bella sub Iliacis moenibus illegeret.

Ipsa Comes pectam, galea Caput ille premetur,
Ipsa nouas vestes, dura vir arma feret.

Qua possum squalore tuos imitata labores
Dicar & hac belli tempora tristis agam.

Aeneid. 8.

Quid memorem infādas cades? quid facta Ty-
ranni

Effera?

Georg. 2.

Quid tibi oderato referam Sudantia ligno
Balsama &c.

Terent.

Virgo ipsa lacrymat, neque cum rogitas quid sit
audet dicere. Ille autem bonus vir nusquam
apparet.

Bone custos salue columen verò familia,
Cui commendari filium hinc abiens meum.

id est male custos & nocumentum familiae. est-
que metalepsis & allegoria.

Cic. in Clod.

Integritas tuate seruauit, pudor eripuit, vita
antè acta seruauit.

Cic. pro Pompeio.

Sinite hoc loco Quirites praeterire.

Non agam tecum iure summo.

D 2

Genes. 3.

Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. id est Ah quam turpiter deformatus, vt nihil amplius sciat quid bonum & malum.

Matth. 28.

Dormite iam & quiescite &c. id est vigilate.

Eccles. c. 30.

Lacta filium, & pauentem te faciat, lude cum eo & contristabit te: non corrideas illi, ne doleas, non des illi potestatem. id est in primo versiculo Ironia allegorica est, quæ deinde propriis & contrariis verbis in sequenti versu explicatur.

CAPVT XIII.

De metaphora.

METAPHORA est tropus simile ad simile.

Primum generis tropi fuit in Metonymia & Ironia: alterum succedit, metaphoram & Synecdochen complectens.

De metaphora primum dicatur: deinde de Synecdoche: siquidem istius origo huius ortū antecedit.

Genus est tropus.

Subiectum verbum simile, quod cum alio vt quale quippiam confertur.

Forma est simile verbum mutare in significationem alius consimilis, vt si dicitur scrupulum

lum ex animo euellere, qualitatem scrupuli intelligo ad aliud nempe molestiam significandum relatum. Vt enim scrupulus viatori, ita molestia animo grauis est.

Dicitur metaphora à μεταφέρειν transferre, vnde latinè translatio.

Desumitur hic tropus ex omnibus rebus. Nihil enim est in rerum natura quod cum altero vt simile quiddam comparari nequeat. Et metaphoreꝝ vsu trita & frequētata penè in proprium transeunt sermonem.

Ita dicitur homo Deus, & contra quæ sunt proprietates hominis atque aliarum rerum, tribuuntur Deo metaphoricè per αἰσρωτοπάθειαν, vt si Deus dicitur habere brachium, ex quo deinde potentiam & robur metonymice intelligimus. Ea tamen multum delectat quæ à sensibus vtpote oculorum desumitur, & ad eosdem transfertur. vt Horat. testatur.

*Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

Appellatur aliàs contracta similitudo, recte quidem; modo recte intelligatur, non quæ logica in verbo simili notam similitudinis annexam habente, sed in nudo simili consistit, vt homo homini DEVS.

Falsò ergo εἰκὼν imago huc accommodatur, quæ breuis & contracta similitudo dicitur.

Quid. 2. art.

Stulte quid est somnus gelida nisi mortis imago?

Virg. Aeneid. 2.

Instar montis equum.

Etenim nihil aliud, quam contracta similitudo est, quæ in metaphoram transmutari potest, ut vita est similis somno, & vita est somnus.

Falsò etiam fabulæ, apologi & parabolæ huc rapiuntur, quæ ad explicatam spectant similitudinem. Fabulosa enim narratio est ipsa protasis: affabulatio quæ dicitur apodosis si antecesserit *πρὸ μύθου*: si secuta fuerit, *ἔπι μύθου* dicunt.

Ex affectionibus tropi, hyperbole & allegoria illustrem in metaphora vsum habent.

Elegantissima fit hyperbole, cum rebus animatis actum quendam & animos vnico verbo attribuimus. ut

Virg.

*Geminique minantur in cœlum scopuli**--- Minaque Murorum.**Montesq; feri syluaq; loquuntur.*

Perperam huc, detorquetur comparationes hyperbolicæ.

Aeneid. 12.

Qui candore niues ante irent, cursibus auras.

Aeneid. 5.

Et ventis & fulminis otior alis.

Eccles. 34.

Quasi qui apprehendit umbram & prosequitur ventum, sic & qui attendit ad visa somnia.

Alte-

Altera affectio quæ hic excellit allegoria est, cuius vsus varius est multus. Interdum non admodum obscurat sententiam.

Aeneid. 4.

*At regina gravi iam dudum saucia cura,
Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.*

Cic.

*Etsi ego omnia quæ dicenda sunt liberè dixero,
nequaquam tamen similiter oratio mea exi-
re atq; in vulgus emanare poterit.*

Interdum quam plurimæ continuantur metaphoræ vel in sententia vel in tota oratione, vt in Odis, Satyris, vaticiniis prophetarum, quæ sensum plane alium quam verbis exprimunt, innuunt.

Iniuste huc etiam trahitur comparatio hyperbolica, nisi in cuius parte altera, metaphoræ lateant.

Ouid.

*Tam me circumstant densorum turba malo-
rum,*

Crede mihi vero est nostra querela minor.

His qui contentus non est, in luttus arenas,

Insegetem spicas, in mare fundit aquas.

Velle quid est aliud fugientia prendere poma,

Spemq; suo refugi fluminis ore sequi.

Interdum etiam euenit vt allegoriæ propriis verbis subiectis vel præcedentibus explicentur: ex quibus malè altera comparationis pars elicetur, quandoquidem non res diuersæ inter se

conferuntur, sed eadem verbis tropicis & propriis declatantur.

Ouid. 5. trist. 12.

*Quassa tamen nostra est non mersa nec obruta
navis.*

Virg. caret portu, sicutamen extat aquis.

Nec vitam, nec opes mihi nec ius civis ademit,

Qui merui vitio perdere cuncta meo.

Paris. Hel.

*Quid bibulum curvo proscindere littus aratro
Spemq; sequi coner, quem locus ipse negat?*

Georg. 2.

*Tuque ades inceptumque una decurre labo-
rem*

*Mœcenas: Pelagoque volans da vela paten-
ti &c.*

Contra haud raro eadem allegoria, alia dis-
simili illustratur.

Ouid.

*Dixerit è multis aliquis cur virus in angues
Adicis, & rapidis tradis ovile lupis.*

Denique Onomatopœia fictio nominis quo
iure ad metaphoram referatur perpendemus.
Cum videlicet ficta nomina ad alia significan-
dum usu adhibentur.

Virg.

Ulularunt vertice Nympha.

Arietat in portas.

Sin nativa eorum significatio permanet, ni-
hil tropi sapiunt.

Sæpe

Virg. Ecl. I.

Sape leui somnum suadebit inire susurro.

Georg. I.

Balantumque gregem fluuio mersare salubri.

At si originis ratio eorundem inuestigatur ad logicam notationem spectant, vt si dicatur scloppus sonus vocis è re ipsa natus, vlulare vox luporum &c.

An vero liceat nomina fingere? Sciendum id exemplo Græcorum, Ciceronis aliorumque non prohiberi, cum propria deficiunt, aut modificata minus apta ad rem denotandum, modò non temerè & ineptè, sed modestè, verecundè & rarò fingantur, paulatimque vsu frequenti molliantur vt Scloppetum à scloppo aptius fictum quam bomba &c.

Exempla.

Eclog. I.

Libertas qua sera tamen respexit inertem.

Horat. 4. od. 7.

Bruma recurret iners. id est Iners proprie dicitur arte carens catachrestice pro deside & ignaui sumitur.

Georg. I.

Sustuleris fragiles calamos syluamque sonantem.

Intereunt segetes: subit aspera sylua, id est copia lolij.

Georg. 3.

*In furias ignemque ruunt amor omnibus i-
dem.*

Aeneid. 1.

*Franguntur remi tum prora auertit & undis
Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ
mons. id est Ingens maris fluctus.*

Aeneid. 8.

Vastisq; molaribus instat,

Aeneid. 10.

*Hinc pater Aeneas Romana stirpis origo,
Syderio flagrans clypeo & cælestibus armis, id
est maxime splendidis.*

Aeneid. 4.

*-- Bachatur fama per urbem**Lamentis, gemituque fœmineo ululatu,**Tecta fremunt resonat magnis plangoribus æ-
ther.*

Aeneid. 12.

Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Aeneid. 1.

Sæpe illos aspera ponti: Interclusit hyems.

Aeneid. 5.

*Littus ama & leuas stringat sine palmula cau-
tes, id est Funus acerbum i.e. amarum pro im-
maturò, & hoc pro intempestiuo metalepsis
est. Acerbitas enim signum immaturitatis est.
Hyems pars anni, pro tempestate hyberna &
hec pro marina: Palmula extrema pars remi in
modum palme proteta, significat ipsum totum
remum.*

Sim-

Simplices tropi innumeri sunt obuij.

Eclog. 9.

Cantantes sublime ferent ad sydera cygni.

Vare tuum nomen, id est poetæ propter similitudinem cantus quo diuinare solent,

Georg. 4.

Immensasque trahi nubes iamq; arbore summa

Confluere, & lentis unam demittere ramis. id est loquitur de opibus.

Aeneid. 2.

-- *Superi regnator Olympi, id est cœli. Olympus est mons altissimus.*

Troia & patria communis Erynnis

Abdiderat sese atque aris inuisa sedebat. id est Helena: Erynnis est vna ex furiis infernalibus.

Aeneid. 4.

Cum tacet omnis ager pecudes pictæque volucres.

Aeneid. 12.

Iam nosces ventosa ferat cui gloria laudem.

Aeneid. 5.

-- *Pelagoque volamus*

Certatim socii feriunt mare & aquora versant.

Et longe sulcant vada salsa carina.

Vastam incendunt clamoribus urbem, id est complent.

Allegoria frequentissima & illustrissima hoc in tropo reperitur.

Eclog. 3.

*Claudite iam riuos pueri sat prata biberunt, id
est cessate, sat cantatum est.*

Georg. 4.

*Atque equidem extremo nunc iam sub fine la-
borum*

*Vela traham, & terris festinem aduertere pro-
ram.*

Ouid 5. trist. 13.

*Nominis & fame quondam fulgore trahebar.
Dum tulit antemnas aura secunda meas.*

Ouid. 9.

*Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille cadu-
cus,*

*Flammaque de stipula nostra breuisque fuit.
Quo ferar? unde petam lapsis solatia rebus?
Anchora iam nostram non tenet illa ratem.*

Horat. 3. od. 15.

In chlorim vetulam

Maturo propior desine funeri

Inter ludere virgines,

Et stellis nebulam spargere candidis.

1. Od. 13.

O nauis referent in marre te noui

Fluctus. ô quid agis? fortiter occupa

Portum, nonne vides, ut

Nudum remigio latus.

Catull. ad Ruff.

*Ledit te quedam mala fabula, qua tibi fer-
tur*

Valle sub alarum trux habitare caper.

Hunc

Hunc metunt omnes neque mirum, nam mala
valde est

Bestia, nec qui cum bella puella cubet.

Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine, cur fugiunt.

Terent.

Illumne obsecro inhonestum hominem, quem
mercatus es here, senem mulierem, id est Cata-
chrestice Eunuchus deformis appellatur senex
mulier, Alibi Geta Dorionem sterquilinum
vocat.

Deorum vitam adipisci.

Lupo ovem commisisti.

Quae sunt dicta in stultum, Caudex, stipes, asi-
nus plumbeus, in illum non potest. &c.

Cic. Philip. 4.

Virtus est una altissimis defixa radicibus.

Verr. 4.

Ipse inflammatus scelere venit in forum: arde-
bant oculi totoque ex ore crudelitas emi-
cabat.

Ille Lentulus, cuius ego patrem Deum ac pa-
rentem statuo.

Psal.

A facie Domini mota est terra.

Luc. 1.

Fecit potentiam in brachio suo.

Psal. 17.

Sub umbra alarum tuarum tege me.

Leuit. 2.

Omnis oblatio quae offertur Domino, absque

fermentos fiet, nec quicquam fermenti ac mellis
adolebitur in sacrificio, id est peccati & libidi-
nis.

Ad Galat. 6.

*Qui seminant in carne sua ex carne metent
corruptionem.*

Esaï.

*Ventilabrum in manu eius, & purgabit arēā
suā, & congregabit triticū in horreum, paleas au-
tem comburet igni inextinguibili, id est pios in
cælo congregabit, impios in inferno crucia-
bit.*

Prolixiores allegoriæ videantur Esaïæ. c. 10.
14. 15.

Synecdoche
CAPVT XIII.

De Synecdoche.

SYNECDOCHE est tropus, quo pars &
totum permutatur.

*Estque vel membri & Speciei, vel integri
& generis.*

Ultimus tropus ex distributione ortum tra-
hit, & dicitur Synecdoche, à verbo *συωνδὲχο-
μαι* quod idem est quod simul expono, explico,
explano, simul concipio, comprehendo. Vnde
latine conceptio seu comprehensio dicitur,
quod suis vocibus subiectis, aliud simul signifi-
candum comprehendat.

Quod tamen potissimum membro & Spe-
ciei

ciei conuenit, quæ suum integrum id est reliqua
membra & genus, id est reliquas species vna signi-
ficant.

Genus verò & integrum significando cer-
tam speciem, certumque membrum, alias par-
tes præterit potius.

Verum sicuti reliqui tropi vi notationis pe-
nè conuenientes ex forma & subiecto sonoque
nominis distinguuntur: Ita & distinguenda Sy-
necdoche ex definitione, & nomine.

Subiectum est vox partis & totius, intellige
essentialis, cum alterum alterius essentiam par-
ticipat.

Forma est partis & totius commutatio, id est
quando pars designat totum, & contra totum
partem.

Vt verò pars & totum in logicis duplex: ita
Synecdoche duplex: alia membri & speciei:
alia integri & generis.

Remota dichotomia, quatuor erūt Species.

- 1 Synecdoche membri
- 2 Speciei.
- 3 Integri.
- 4 Generis.

Quamuis autem membrum relationem ha-
beat mutuam ad integrum, & species ad genus,
vnde ratione & ordine affectionis sibi videan-
tur succedere: verumtamen ne species à suo ge-
nere diuellantur, quod ἀπ' ἑνὸς, membrum &
species sub genere partis præcedunt: integrum
& genus sub genere totius sequuntur.

Falsò huc refertur periphrasis, quæ ad descriptionem logicam pertinet, vt summus sacerdos, redemptor mundi, pro Christo. Nec obstat interdum tropos periphrasi inhærere. Eos enim non vt materiam, sed adiunctum possidet. Idcirco perperam formulæ sequentes toti assignantur periphrasi: Exercere Martem, porrigere Bacchum, serere Cererem, tendere cornua, promittere noctem, constituere lares, concipere flammos, extruere mœnia.

In quibus formulis si voces tropicæ mutatae fuerint in proprios significaciones, tum demum periphrasis existet, vt exercere bellum, porrigere vinum.

Omnis enim definitio propriis constat verbis, modò semper propria in promptu sint.

Aduertendum tamen summopere, ne sub specie modificationis, ea quæ sunt in periphrasi propria, in sensum vertamus tropicum. vt exercere opus Martis.

Estque hic regula in conspectu habenda, quod periphrasis vox, quæ tropica videtur, si in propriam resoluta fuerit significacionem, & altera vox omissa (logici descriptum seu definitum vocant) quam periphrasis describit repetatur, cum videlicet cum periphrasi nominatim & expressim enunciatur, tum nulla transmutatio sit admittenda.

Esset enim ridiculum & superuacaneum, descriptum descriptione confundere & frustra iterare,

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. 65
iterare, vt opus Martis id est opus belli: bellum
est opus belli.

At contra conuenienter dicitur Bellum est
opus Martis, veluti ex sua efficiente.

Ex adiectiuis tales periphraſes ſunt frequen-
tiores, vt cornu flexile: humor liquidus, pro ar-
cu & aqua.

Quales periphraſes licet raro cum ſuo deſcri-
pto reciprocentur: attamen ex contextu ver-
borum & ſententiæ haud difficulter intelligun-
tur quid deſignent.

Nec intereſt, vtrum res deſinita cum deſi-
nitione nominatim exprimat, an omiſſa re,
deſcriptio ſola ponatur. Vſus enim varius. vt

Virg. Georg. 1.

O vos clariffima mundi

Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum,
id eſt Sol & luna.

Aeneid. 8.

Namque volans rubra fuluus Iouis ales in æ-
thra

Littoreas agitabat aues. id eſt aquila & cy-
gnos.

Ouid. 3. triſt.

Senior eſt triſti Buſiride, ſenior illo

Qui falſum lento terruit igne bouem.

Luc. 17.

Sicut in diebus comedebant, bibebant, nuptiis
dabant, id eſt ſecuri & impœnitentes erant.

E

Iohan. 4.

Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, id est totum opus redemptionis Christi. Estque periphrasis ex parte totum arguens.

CAPVT XV.

De Synecdoche membri.

SYNECDOCHE membri est, cum ex membro significatur integrum.

Genus cum definito exprimitur.

Subiectum est vox membri, vt anima & corpus.

Forma est ex voce membri significare integrum vt:

Virg. 2. Aeneid.

Ad terram miserunt corpora salta.

Aeneid. 12.

Cunctis pro talibus vnā obiectare animam, i. e. obiectare totū hominem, & sese totos precipites dederunt.

Neq; est cum hac Synecdoche confundenda metonymia materiae. Hic distinctim materia consideratur quæ singula continet membra, ex quorum coniunctione forma promanat integri: Illic coniunctim absque formæ communiōe, vt terra pro corpore humano, metonymia materiae est: at caput pro toto corpore Synecdoche est.

Diffe-

Differunt ergo materia & membra.

1. Materia est causa partium: partes effectum materiatum.
2. Materia communem habet cum partibus formam, at partes singulae propriam.

Aeneid. 2.

Limen erat caeque fores. id est ianua.

Georg. 1.

Iam sibi tum curuis male temperat unda carinis, id est nauibus.

Georg. 3.

Volat vi feruidus axis.

Ouid.

Si rota defuerit, tu pede carpe viam, id est currus.

Aeneid. 2.

Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat, id est hyems.

Aeneid. 5.

Septima post Troiae excidium iam vertitur aetas, id est annus.

Horat. 1. od. 11.

Ceu plures hyemes seu tribuit Iuppiter ultimam, id est annos.

Georg. 1.

Nunquam te crastina fallat Hora.

Horat. 1. od. 12.

Qui mare & terras variisq; mundum Temperat horis, id est varia temporum vicissitudine, metalepsis.

Aeneid. 2.

Obsedere fores strictis mucronibus imas.

Aeneid. 12.

Ille avidus pugna furas incluserat auro.

Horat.

Tempora populea fertur cinxisse corona.

Ouid. 1. Trist. 3.

Vos animam seu a tristi subducite morti.

Aeneid. 9.

*Succedunt, animasque in aperta pericula mit-
tunt. id est toto homines.*

Aeneid. 12.

*Euertunt aëtas ad sidera pinus, id est cœlum
ex quo aër intelligitur summus.*

Aeneid. 2.

*Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit.*

Aeneid. 4.

*Humentemque aurora polo dimouerat um-
bram, Axis & polus metaphoricè, deinde Sy-
necdochice pro cœlo.*

Georg. 1.

*Humida Solstitia, atq; hyemes orate serenas. id
est solstitia pro solstitio per Synecdochen ge-
neris, & hoc pro æstate, cum sol altissimus.*

Ecl. 1.

*Post aliquot me a regna videns mirabar aristas.
i. e. post aliquot annos. Ex aristis intelligo spicas,
ex spicis segetes, per hunc tropum ex segete
messes, ex messibus æstates, ex æstate annum.*

Sub

Georg. 1.

*Sub pedibus styx atra videt manesq; profundi,
styx fluuius inferni pro toto inferno, & hic pro
diis infernalibus.*

Aeneid. II.

*Interea socios inhumataque corpora terra
Mandamus, qui solus honos Acheronte sub
imo est.*

Terent.

*Nunquam tam dices commodè, ut tergum meum
tuam in fidem committam.*

Cicero.

O tecta ipsa misera.

*Multorum te oculi & aures non sentientem, si-
cut ad huc fecerunt, speculabuntur atq; custodi-
ent. i. e. multi oculati & auriti homines, vnde
allegoria, quæ in hoc genere rarior.*

Genes. 45.

*Intrauit Iacob in Aegyptum cum animali-
bus 70.*

Marci. 16.

*Predicate Euangelium omni creature, id est to-
tam Scripturam.*

C A P V T. XVI.

De Synecdoche speciei.

SYNECDOCHE speciei est cum è specie
significatur genus.

Altera Synecdoche partis est speciei, cuius

E 3

subiectum est vox speciem significans, vt Paulus respectu hominis, homo animalis.

Forma est è specie significare genus.

Species & membrum differunt vt effectum & causa. vt: ventus est causa Africi, Euri, & proinde hæ species, venti effecta.

Contra corpus & anima constituunt hominem.

Vnde discimus vt ne in analysi Synecdoches species confundamus. Vt verò in logicis species alia subalterna, vt homo: alia specialissima, vt Petrus: ita eadem & hic intelliguntur, si videlicet Genus designant.

Sin aliam speciem consimilem, ad metaphoram referuntur.

Hæc enim in simili verbo proprio, aliud simile certum & proprium significat: at Synecdoche hæc ex nomine proprio aliud commune. vt:

Malachiæ. 4. vers. 5.

Ecce ego vobis mittam Eliam prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis, id est Iohannem Eliæ officio & vaticinio similem, vnde metaphora.

Geor. 3.

Cum gemitu reboant, sylvæque, & magnus Olympus, id est altissimi montes, per Synecdochen: at contra.

Flava Ceres alto nec quicquam spectat Olympo. id est cælo per metaphoram.

Ad

Ad hunc tropum insuper referri solet ἀλογικῶς numerus certus & definitus vnico verbo constans, pro incerto & infinito positus: siquidem veluti genus & species sibi respondent.

Cæterum cum numerus definitus integra comprehenditur sententia, non huius erit loci. VI:

Ouid. 5. trist.

*Quot frutices syluæ, quot flauus Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus ha-
bet,*

*Tot mala pertulimus, id est innumera & infi-
nita mala.*

Qualia exempla ad comparationes hyperbolicas spectant.

Deinde ἀλογικῶς huc accommodatur numerus singularis, pro plurali positus, quem alij ad Synecdochen membri referre malunt.

Quippe vnitas respectu multitudinis veluti pars intelligatur.

Nostrum est eundem tantum analogico quocunque modo ad hunc tropum aptare.

Exempla.

Georg. 1.

Tunc gruibus pedicas & retia ponere ceruis,
id est auibus quibusuis.

*Aut tempestatum in syluis enertere pinum, id
est arborem.*

Eclog. 3.

-- *Nec nautica pinus*

E 4

Mutabit merces. id est pinus pro arbore quavis vel etiam proprie pro naui, & hæc pro nauis.

Georg. 2.

Nunc te Bacche canam nec non sylvestria tecum

Virgulta. Virgulta sunt propriè arbusculæ, at hic per Synecdochen catachresticam pro arboribus ponuntur.

Ecl. 5.

Parta mea Veneri sunt munera, id est amicæ meæ. Venus olim amica Martis fuit.

Eclog. 10.

Quæ nemora, aut quosvis saltus habuere puellæ Naiiades. id est nymphæ.

Georg. 1.

Ceruleus pluuiam denunciat, igneus Euros.

Aeneid. 2.

Dare classibus Austros,

Aeneid. 3.

Tendunt vela Noti, fugimus spumantibus undis,

Aeneid. 4.

Nec Zephyros audis spirare superbos.

Georg. 3.

Frigidus & syluis Aquilo decussit honorem. id est hic ex speciebus vëtorum, gradatim ventos intelligimus.

Georg. 2.

Salvus & saturi petito longinqua Tarenti.

Non

Non absunt frigida Tempe, id est loca iucunda & amœna.

Eclog. 6.

Nostra nec erubuit sylvas habitare Thalia, id est Musa.

Aeneid. 4.

Sacra Ioui stygio perficere est animus. Ex Ioue intellige Deum, ex Deo stygio Plutonem, estque periphraſis.

Aeneid. II.

Ibo animis contra, vel magnum preſtet Achyllem, id est Heroem & virum fortem.

Horat. I. Epist. ad Mæcenatem.

Satis superq₃ me benignitas tua

Ditavit, haud parauero.

Quod aut auarus, ut Chremes, terra premam,

Discinctus aut perdam ut Nepos. Chremes pro quolibet siue parco & auaro.

Catull.

Nimirum omnes idem fallimur, neq₃ est quisquam, quem non in aliqua re videre Suffenum possis. Suffenus pro homine nasutulo & φιλαίτω.

Georg. 2.

Nesegnes iaceant terra, Iuuat Ismara Baccha

Conserere, atque oleo magnum vestire Taburnum, id est quosuis montes, estque allegoria.

Aeneid. 10.

Incipe si que animo virtus, & consere dextram,

Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem, id est Fortem victorem hosti viribus fracto.

Ouid. 2. Remed.

Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Orestem.

Hic quoque amicitie non leuis usus erit, id est semper amicum habeas aliquem qui curet amicum.

Ouid. Trist. 4.

Nempe dat & quodcumq; libet fortuna, rapitque,

Irus & est subito qui modo Cræsus erat, id est: pauper & est subito qui modo diues erat.

In adiectiuis hic tropus frequentior est.

Aeneid. 5.

Hæctorei socii nunc nunc insurgite remis, id est fortissimi & magnanimi.

Ouid. de Pont. II.

*Sic pater in pyleos, Cumæos mater in annos
Vinant.*

Horat. I. od. 3.

*Perrupit Acheronta Hercules labor,
Vlus finiti numeri in sequentibus patet.*

Aeneid. 6.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,

Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

Ouid. 2. Art.

¶ nunc, claude fores custos odiose puella,

Et

Et centum duris postibus adde seras.

Aeneid. 4.

*Terq₃ quaterq₃ manu pectus percussa deco-
rum.*

Horat. 1. od. 13.

*Fœlices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula.*

Aeneid. 5.

Mille trahit varios aduerso sole colores.

Aeneid. 6.

*Illum ego per flammam & mille sequentia tela
Eripui, his humeris medioque ex hosterecepi.*

Catul. ad Lesb.

*Da mi basia mille deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum.*

Ad Fur.

*Cum suis uiuat, valeatq₃ mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos.*

Usus singularis numeri pro plurali frequen-
tissimus est, haud multorum exemplorum in-
ductione indigens.

Aeneid. 2.

*Vterumq₃ armato milite complent.
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.
Et vacuos sensit sine remige portus.
Non secus ac patriis acer Romanus in armis.*

Cicer. 1. Catil.

*Certè verendum non erat, ne quid hoc parrici-
da ciuium interfecto, id est homicida catachre-
stice.*



Idem de Pifone.

Netum quidē, Paule noster, tabulas Romanam cum laurea mittere audebas. Ex Paulo intelligitur strenuus Imperator, qui deinde Ironice de Pifone.

De orat. 2.

Cuius ex ludo, tanquam equo Troiano, innumeri principes exierunt. Allegoria non rara est in hoc modo.

Agr. 2.

Cum haberet hæc res pub. Catilinos, Acidinos, & cum erant Catones, Philippi, Lælii, id est homines honorati, pauperes sapientes, temperati.

Terent.

Davus sum non Oedipus, id est homo simplex non ingeniosus.

Et huc pertinent prouerbia: Alter Hercules, Phalaridis imperiū, Arabum Gaza, Senectæ Nestorea.

Biblica exempla sunt rara.

Matth. 6.

Cognoscite lilia Campi quomodo crescant. id est omnis generis flores.

Numerus finitus pro infinito est.

Pfal. 3.

Non timebo à decem millibus.

Pfal. 119.

Septies in die laudem dixi.

Numerus singularis pro plurali est.

Venit

Exod. 8.

Venit Musca grauissima.

Num. 24.

*Ora ad dominum, vt auferat à nobis serpen-
tem.*

Pfal. 9.

Surge Domine, ne praualeat homo.

CAPVT XVII.

De Synecdoche integri.

INTEGRI Synecdoche est cum ex integro
significatur membrum.

Primum Genus Synecdoches in parte mem-
bri & speciei absolutum est, alterum est in toto
integri & generis.

Genus per se notum est.

Subiectum est vox proprie significans inte-
grum, quod habet partes essentielles, vt domus
continet tectum, parietes, homo animam &
corpus.

Forma est integri significationem transmu-
tare in significationem membri, cum quo in re-
latione consistit.

Aduertendum est hic ne sæpe propria inte-
gri intelligamus pro modificatis vt.

Horat. 4. od. 7.

Immortalia ne speres monet annus.

Contra verò, ne periphrasin, cui Synecdo-
che inhæret, planè accipiamus propriam vt si

dicitur formosissimus annus pro vere, frigidus annus pro hyeme, id est pars formosissima anni.

Exempla.

Eclog. 10.

*Non illum nostri possunt mutare labores,
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus.*

Eclog. 1.

*Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Ty-
grim.*

Horat. 4. od. 15.

Non qui profundum Danubium bibunt.

Georg. 3.

*In foribus pugnam ex auro solidoque Elephan-
to, id est ex dentibus.*

Aeneid. 2.

*-- Rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, sternit Sata leta boumque labo-
res,*

Præcipitesque trahit Sylvas, id est arbores.

Georg. 2.

*Castaneæ, nemorumque Ioui, quæ maxima
frondet*

*Esculus, atq; habita Graiis oracula quercus.
id est Nemora pro arboribus.*

Aeneid. 1.

*-- Ingens à vertice pontus
In puppim ferit. id est Pontus pro mari, & hoc
pro ductu, metalepsis.*

Fer-

Aeneid. 12.

*Fertur in abruptum magno mons improbus a-
ctu, id est Saxum montis ingens.*

Eclog. 2.

*Nunc frondent Sylva, nunc formosissimus an-
nus, id est ver.*

Aeneid. 3.

*Arboribus satisq; lues & lethifer annus, id est
aestas, & haec pro tempore ortus caniculae.*

Horat. 3. od. 23.

Pomifero graue tempus anno. id est autumnus.

Epod. 2.

*Aut cum tonantis annus hybernus Iouis
Imbres nivesq; comparat.*

Aeneid. 6.

*Hunc circum innumera gentes, populique vo-
labant, id est Ex gentibus & populis intelligit
homines, ex quibus deinde manes.*

Aeneid. 11.

*Interea socios, inhumataq; corpora terra
Mandamus:*

Terent.

*Non cogitas hinc longius abesse & nosti mores
mulierum.*

Dum moliuntur, dum comuntur annus est.

Hac dum dubitas, menses abierunt decem.

Cic. 1. Epist. 4.

*Res vides quomodo se habeat, orbem terrarum
distributis imperiis ardere bello, id est orbis pro
globo, & hic pro parte nempe Romano im-
perio.*

Sacra sunt.

Iohan. 20.

Tulerunt dominum meum & nescio ubi posuerunt, id est corpus Christi.

Matth. 12.

Christus fuit tres dies in sepulchro, id est parte tantum trium dierum.

Genes. 1.

Creavit DEVS hominem ad imaginem suam, id est animam hominis, Augustinus enim inquit: Maledictus ille sit qui imaginem ad corporis lineamenta refert.

C A P V T. XVIII.

De Synecdoche generis.

GENERIS Synecdoche est, cum ex genere significatur species.

Altera species Synecdoches, totius est generis Synecdoche.

Subiectum est vox significans Genus, quod suam essentiam tanquam totum pariter speciebus communicat, tanquam partibus.

Forma est ex genere significare speciem, vbiunque tropica significatio præsumitur.

Sæpe in hoc modo propria accipiuntur pro modificatis, Veluti cum res non expressim posita ex genere aliisque argumentis breuiter describitur. vt,

Senis

Horat. 1. od. 12.

Sauis inimica virgo

Beluis.

Gentis humane pater atque custos.

1. Epist. 2.

Troiani belli scriptor. id est Diana, Iuppiter
& Homerus.

Plerumque verò cum vox generis sine cir-
cuitu effertur, intelligitur species, vt:

Virg.

Ter pater extructos disiecit fulmine montes, id
est Iuppiter.

Quemadmodum ergo in analysi tropi haud
temere sunt fingendi: ita neque in Genesi quic-
quid sine cautione & prudentia hic audendum
est.

Ad hanc generis Synecdochen partim refe-
renda est antonomasia, quæ licet sua definitio-
ne omnibus conueniat tropis, (definitur enim
vulgò nominis pro alio permutatio) attamen
ex subiectis eiusdem exemplis probatur eam
cum Synecdoche generis potissimum conue-
nire: Si videlicet appellatiuum id est nomen
commune loco proprij, vt gentile & patrony-
micum, vt Poëta pro Homero & Virgilio, Vrbs
pro Roma, Pelides pro Achille ponitur.

Hæc enim nomina generalia, si quidem na-
turam pariter multis impertiunt, vt genera æ-
stimanda sunt ad suas species.

Deinde eadem antonomasia, partim ad Sy-

F

necdochen speciei referri debet, cum propriū pro appellatiuo, vt Socrates pro Sapiente, ponitur.

Cæterum cum ex substantiuo communi aliud commune per antonomasiam tropicè deduci dicitur, non Synecdoches, sed metaphora aliūve tropi, munus erit.

Etenim haud consentaneum naturæ, ex disparato aliquo aliud certò significari posse, quod speciem referat.

Deinde hic Synecdoches modus κατ' ἄριστον, id est propter excellentiam & præstantiam speciei fieri dicitur, quæ tamen ratio cæteris communis esse potest tropis, vt si dicatur Philosophus quidam clarus & præstans, Aristoteles. Si annus formosissimus ver, ob præstantiam: si puella formosa dicitur Venus, Helena.

Itaque hæc ratio potius ad delectationem troporum causam communem id est gratiam & ornatum respicit.

Analogia quadam huc refertur etiam numerus pluralis pro singulari, licet eadem vox quæ in plurali, remaneat in singulari, quod in reliquis tropis vix possit fieri.

Exempla.

Eclog. i.

*Quamuis multa meis exiret victima septis,
Pinguis & ingrata præmeretur caseus urbi,
Nonunquam grauis are domum mihi dextra
redibat. id est septa pro ouilibus, vrbs pro Mantua*

tua, as pro moneta area per metonymiam: & hæc pro qualibet pecunia: per Synecdochen generis. Estque metalepsis & allegoria.

Eclog. 2.

O Formose puer nimium ne crede colori, id est candori.

Aeneid. 4.

Huic se forma DEI vultu redeuntis eodem,

Obtulit in somnis. id est Mercurij.

At regina grauiam dudum saucia cura.

Multa viri virtus. id est Dido & Aeneæ.

Inque feri curuam compagibus aluum, id est Ferum pro equo catachrestice & quidem Troiano.

Aeneid. 7.

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit. id est ceruus.

Ouid. 3. od. 3.

Utque rapax pecudem qua se non texit ouili

Per sata per Sylvas fertque trahitque lupus, id est steouem.

Ouid. 5. Trist. 2.

Mens tamen agra iacet, nec tempore robora sumsit,

Affectus que animi qui fuit ante manet. Affectus pro tristitia.

Horat. 1. od. 2.

Iam satis terris niuis atq; dira

Grandinis misit pater, & rubente

Dextera sacras iaculatus arces,

Terruit urbem.

Aeneid. 12.

Ausus pelidae pretium sibi poscere currus,

Illum Tydides alio pro talibus ausis.

Affecit pretio nec equis aspiret Achillis. id est

Pelides à Pelio natus pro Achille, Tydides pro

Diomede qui natus fuit à Tydeo.

Horat. i. Epist. 2.

Nestor componere lites

Inter Peliden festinat & inter Atriden, id est

Inter Achillem & Agamemnonem.

Horat. 4. od. 4.

Quid debeas o Roma Neronibus.

Intelligi videtur Drusus Nero, Augusti Ca-

saris priuignus.

Eclog. 1.

Nos patriam fugimus, id est Ego: qui modus

loquendi frequentissimus.

Terent.

Proh Juppiter tu homo adiges me ad insaniam,

id est Mitio Senex.

Cic. pro Marcell.

Et certe in armis multum virtus militum in-

uat, id est fortitudo.

Catil. 1.

Exire ex urbe consul hostem iubet, id est Ro-

ma, Tullius, Catilinam per Allegoriam.

Sacra sunt.

Matth. 24.

Non salua fieret omnis caro, id est caro pro

creatura, & hæc pro homine metalepsis.

Lex

Matth. II.

*Lex & propheta usque ad Iohannem prophe-
tarunt, id est Ceremonialis & Politica.*

*Peccatores non possidebunt regnum DEI, id est
impœnitentes.*

Matth. 2.

*Mortui erant qui querebant animam pueri,
id est Herodes, & Christi.*

Iudic. 12.

*Sepultus est in ciuitatibus Giliad. id est in
vna.*

Finis Tropologia.

SCHEMATOLOGIA.
 PARS ELOCUTIONIS
 ALTERA DE FIGVRIS.

CAPVT I.

Quid Figura?

FIGVRA est elocutio, qua orationis habitus à recta & simplici consuetudine mutatur in figuratum.

Prima parte elocutionis absoluta: altera subiicitur, quæ latinis figura: græcis *ἔμψα* metaphoricè dicitur.

Finis enim quantitatis in corporibus naturalibus eiusque modus & præscriptio proprie Figura appellatur: *ἔμψα* à verbo *ἔχω* habeo, notat habitum & vestitum, vt Plaut. in Amphi: Ego huc processi, sic cum seruili Schemate. Unde ornata orationis confirmatio forte ab habitu histrionum, qui varia orationis genera, variis vestimenti figuris, pronuntiabant, dici cœpta Schema.

Hinc secunda hæc elocutionis pars dicatur Schematologia seu schematica, quæ certa, de conformandis orationis schematis, præcepta tradat.

Definitio eius constat genere, subiecto, & forma.

Genus est elocutio id est orationis exornatio.
 Subie-

Subiectum est habitus orationis.

Forma habitum orationis simplicem & rectum mutare in figuratum, id est coloratum & fictum, quando vel dictiones, vel sententiæ tam modificatæ, quam propriæ figurantur.

Nihil enim interest vtrum tropi misceantur figuris, an plane earum sit propria oratio: siquidem figura omnibus carere potest tropis, quos si interdum continet, non vt suos sed alienos possidet, quibus admixtis oratio redditur splēdidior.

Differunt Tropus & Figura: ille in singulis, hæc in coniunctis verbis.

Differunt oratio figurata & simplex: hæc vulgaris & communis, quæ se naturaliter & primum offert: illa singularis à vulgari discedens.

Idcirco non ratione puritatis grammaticæ, quæ vtrobiq; requiritur, neque ratione simplicitatis logicæ, quæ non orationem sed rationem informat, distinguitur.

In genesi figurarum æque, ac troporum, cauendum est, vt ne luxuriemur aut nimium languescamus, artis *εὐωγείαν* in conspectu habentes, ne à medio virtutis exorbitemus. Ornamenta enim sunt cōdimenta & colores, hi cum sine discrimine nimis vel minus adhibētur, totā deformant picturā: illa cum largius vel parcius quā par, cibis cōfunduntur, totos reddunt insipidos. Parcè & prudenter pro conditione tēporis loci & personæ figuræ sunt adhibēdæ, cōtra

si fecerimus, ambitionis, prodigalitatibus & imprudentiæ arguemur.

In analysi obseruandum, ne ea quæ figuræ speciem ostentant, sed naturalis & simplicis sunt orationis ex natura, non artificiosa fictione profecta, pro figuris agnoscamus.

Quomodo sermo figuratus discernatur à simplici in subiecto conspici liceat exemplo.

Cic. 2. Philip.

Accusa senatum: accusa equestrem ordinem, qui cum senatu copulatus fuerit, accusa omnes ordines.

Idem. 3. Orat.

O Fallacem hominum spem fragilemque fortunam, inanes nostras contentiones.

Hic repetitione & exclamatione demtis simplex modus sermonis euadet, veluti accusa senatum, & equestrem ordinem & omnes ordines. Est fallax hominum spes fragilisque fortuna.

C A P V T, II.

De specibus figuræ.

FIGVRA est λεκτικὴ dictio, vel διανοητικὴ sententia.

Essentia figuræ talis est; sequitur distributio eius in duas species subiectis distinctas, quarum altera sit λέξεως dictio: vel διανοίας altera, sententiæ.

Omnis

Omnis enim habitus à vulgari loquendi cō-
suetudine deflectens mutatur vel in dictioni-
bus, non quidem nude consideratis, sed inter se
collatis vel in sententiis.

Amplificationes quæ ex argumentis petun-
tur logicæ Reipub. Ciues sunt.

Passiones verò & anomalix grammaticæ, ad
grammaticam referuntur.

1 Quædam ad orthographiam, Epenthesis,
prosthesis, syncope &c.

2 Quædam ad Etymologiam, hæterosis, an-
timeria &c.

3 Quædam Syntaxeos, Synthesis, Zeugma,
Syllepsis, Pleonasmus. Hæ enim regularum
quidam anomalix sunt, quæ orationem nō or-
nare, sed puriorem reddere & elegantio-
rem, neque à communi loquendi ratione discedere
dicuntur. Ex quibus tamen quædam proximio-
res sunt inelegantiæ, quàm puritati: vt Pleonaf-
mus & Parelcon, nedum aliquid ornamentum
afferant. Quæ verò puritatem & emendatio-
nem pariunt elegantio-rem, puer antequam stu-
dium aggrediatur Rhetoricum, eas tenetur dis-
cere ex grammaticis, vbi singulis solent subiici
regulis, quibus cognitis limites huius artis me-
lius distinguet, & differentias inter sermonem
ornatum & simplicem liquidò in conspectu ha-
bebit.

Denique hyperbaton ad enunciatum ὑπεροῦ
ἀντιπρῶτον ad methodum, traiectiones: Ellipsis
defectus, & ἀνωλογοῖα, itidem ad enūciatum re-

ferri debent. Et si quæ sunt alia. Duæ itaque neque plures neque pauciores figurarum sunt species, autoritate etiam Ciceronis comprobata, qui 3. de Oratore inquit. Tum denique orator ita conformandus est & verbis & sententiis, ut quemadmodum qui utuntur armis & palestra, non solum sibi vitandi aut ferendi rationem habendam esse putant, sed etiam ut cum venustate moueantur, sic verbis quidem aptam compositionem & condecenciam: sententiis verò ad gravitatem orationis utatur.

Formantur autem & verba & sententiæ penè innumerabiles, sed inter conformationem verborum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris: sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis.

CAPUT III.

De figura Dictionis.

LECTICA est figura dictionum apte & incunde inter se resonantium.

Est vel in dimensione: vel repetitione sonorum.

Omne quod natura sua notiore consequens ignotius illustrare potest, methodo ductrice idem debet præcedere: Ita dictio natura prior & simplicior, quàm sententia, quippe hæc ex dictionibus non solum pronunciata, sed etiam
mente

mente componitur, meritò sententiam antecedit, & proinde lectica prius, quàm *σταυρωτικῆ* ordine discenda est.

Definitur ex genere, subiecto, & forma.

Genus est figura id est elocutio, qua habitus orationis à communi loquendi modo transfertur in non communem.

Subiectum sint dictiones.

Forma à subiecto dependens est earum dictionum ornata confirmatio, ita vt inter sese collocatae, aptè & iucundè resonent, vel certis syllabarum terminis vel certis pedibus vel repetitionibus quibus singulis & vniuersis figurata efficitur oratio.

Vulgaris sermo constat quidem verbis propriis secundum regulas etymologiae & Syntaxeos formatis, quibus & figurata interdū constat, ibi tamen nulla verborum harmonia, aut elegans obseruatur iteratio.

Causae huius figurae sunt numerus & sonus delectationis gratia inuēnti, teste Cicerone: vt enim certis in rebus necessitatis inuenta antiquiora, quam voluptatis, ita & in hac re accidit, vt multis seculis ante oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimendum reperta fuerit, quam ratio numerorum delectationis causa auriū excogitata. Numeris enim homines excitantur & languescunt, & ad hilaritatem tristitiamque deducuntur. Scal. i. Poet. i. Propterea quod spiritus, qui in corde agitant tremulū, ac subsultantem in pectus aërem recipiunt, atq;

cum affini suo vnum fiunt, ita sequuntur spiritus reliqui cæteris in corporis positi partibus, mouentque musculos aut cohibent, prout numerorum lex vel crebrescit incitationibus, vel tenore cõposito quiescit, aut lentitudine quietem imitatur.

Ita quemadmodum infidibus tacta chorda quapiam æquè densa, altera chorda contremiscit, qui in corde insunt spiritus, citantur, ad exterioris soni motum tantò facilius, quàm chorda, quantò maior est vnio.

Quocirca etiam depressus & marcidus animus attollitur facta extimi aëris subeuntis accessione: elatus vero cohibetur aut etiam detrahitur de suggesto illo, cõtraria ratione, Scal. exer. 302.

Numerum non intelligimus solum, qui excitatur Musicis instrumentis aut cantu, sed in primis orationis, qui cum illo comparatur, siquidem vterque eodem medio, motu, nempe aëris efficitur. Hic in oratione consideratus, nil aliud est, quàm conueniens sententiæ sonus ex collocatione dictionum aptaque collatione ortus.

Vulgò figuram lecticã ornatus esse Rhetorici, haud negatur: sed eiusdem partes mutilatim explicantur, dum solæ repetitiones ei subiiciuntur. Cæteræ dimensiones Poëticæ & oratoricæ vel aliis confunduntur artibus, vel prorsus omittuntur, tãetsi nil minus à vulgari longè exorbitent via, & splendide oratione exornent.

Cum

Cū verò maxime ἀπ' αὐτοῦ, sit genus proponere, specie deinde vnica subiecta, alteram præterire, auctor noster essentia figuræ dictionis accuratius considerata, quibus illa communicari posse queat partibus, vsu & ratione magistris, alteram figuræ dictionis speciem, quæ in dimensione consistit, participem huc retulit.

Quin quæ non modo à communi sermone declinet, verum maioris artificij quàm cæteræ repetitionum esse soleat.

Quo circa lectica erit, vel quæ metitur, vel quæ sonos repetit.

CAPVT IIII.

De figura in dimensione.

FIGVRA *in dimensione est quæ dictionum sonos dimetitur: Estque Poetica vel Oratoria.*

Poetica est dimensio perpetuis certorum spaciorum legibus adstricta: Estque rythmus & metrum.

Figura dictionis in dimensione definitur ex genere & forma.

Genus est figura: siquidem discedit à communi loquendi more.

Forma qua à repetitione differt, est dimensio sonorū, veluti si voces certis clausulis vt in rythmo, vel pedibus certis, vt in poëtico & Oratorio

numero, metiamur. Distribuitur induas species, Poëticam & Oratoriam, quæ ex illa ortum trahit eiusque formam imitatur.

Constat verò genere & forma.

Genus est dimensio, qua sonos dictionum figurando dimetitur, non repetit.

Forma est dimensio ea, quæ certis & perpetuis, quæ variare non licet, spaciis circumscribitur, dum vel clausulas in fine positas, vel pedes certos dictionum, vt apta & suavis inde oriatur concordantia aures afficiens, construit.

Hanc poëticam dimensionem alii ad profodiam retulerunt Grammatices, quæ tantum verborum spectat puritatem, istorum considerando quantitates: cum tamē hæc simplici posterior sit sermone, non quidem necessitatis causa, sed iucunditatis reperta, & planè à simplici loquendi vestitu recedat.

Alii itidem singularem assignant artem, vbi non modo rationem dictiones dimetiendi tradunt, sed insuper peculiaria inuentionis & dispositionis admiscunt præcepta, & certas quasi figuras solispoëticis argumentis cōgruentes excogitant, vt hoc Rhetorices propriū sit officiū, omnibus & singulis rebus conuenientes æqualiter tradere figuras: illud logices tam simplici quam sermone ornato materiam vestiendam inuenire & disponere.

At commune subiectum & finem poëticas perpendentes, hic eam inter figuras recensemus.

Quæ

Quæ logices sunt argumenta ad logicam: quæ grammaticæ syllabarum quantitates ad grammaticam, numeris, pedibus & versibus re- tentis, ablegamus.

Si tamen quis eo animo varia in vnum con- gerere vellet præcepta, vt iisdem vsu numeri poetici in variis subiectis, comædiis, tragædiis, Satyris, odis, elegiis &c. demonstraret & illu- straret, veniam mereri aliquantulum posset, perinde ac is qui logica præcepta inuentionis iu- dicij dispositionis à logica mutuetur ad vsu o- rationis vel epistolæ conformandæ.

Quanquam autem oratio & circa ens & non ens versetur, & proinde numerus poëticus tam latè quàm ipsa oratio dimensione figuranda pa- teat: tamen sciendum est eum sibi fabulosas materias & non entia potiss. vindicare, qualia in comædiis, metamorph. aliisque carminum modis obuia sunt.

Hinc poëtæ fictores dicuntur, à quibus veri- tatem non esse exigendam tanquam à testibus Cicero monet: In illis pleraque ad delectatio- nem referuntur quæ præcipua est, qua homi- nes primum capti à fera agrestique vita, ad ci- uilem & humanum cultum traducti, vt testatur Virg. in suo Orpheo, & Horatius.

Syluestres homines sacer interpretisque Deo-
rum

Cedibus & victu fædo deterruit Orphens.

De Rythmo.

RYTHMVS est dimensio poetica, certum syllabarum numerum certa clausula terminans.

Prima species dimensionis poëticæ est rythmus, qui ordine doctrinæ metrum, quod ex illo generatum fuit, antecedit.

Vox rythmus significat omne id quod sub aurium cadit mensuram, id est tam numerum oratorium, quam poëticum, hic Synecdochice pro eo tantum poetico, qui à metro & oratorio differt, usurpatur.

Genus est figura poëticæ dimētionis. Quippe quod constitutio eius certis spaciolorum legibus regatur, quibus à communi dicendi norma declinat.

Forma est sonos dictionū ita metiri, vt semper certum syllabarum numerum certa clausula terminatum contineat.

Sunt itaque duo in rythmo obseruāda: Certus syllabarum numerus: Deinde certæ clausulæ quibus à metro distinguitur.

Hinc enim nullæ syllabarum quantitates, sed certus tantummodo & definitus syllabarum numerus, siue quatuor, siue sex, siue octo &c. obseruatur.

Neque

Neque immutabilis earum dispositio, sed certus saltem terminus & clausula tenetur.

Huius numeri causa est ipsa natura, quæ nullo admodum artificio obseruato rhythmos prodidit, quibus aures aliquo fine dimensis dulce afficerentur, licet tandem certo modo usus accesserit, quo iidem excolerentur, apteque varièque inter se collocarentur.

Usus olim in græca & latina lingua, ante metri inuentionem frequens fuisse perhibetur, qui tamen hodie in desuetudinem abiit, cuius saltem imago exemplis licet videre, ad differentiam metri numerique oratorij constituendam subiectis.

Quarebant fauos

Per nemus fauos.

Linguam refremans temperet,

Ne litis horror insonet,

Visum fouendo contegat,

Ne vanitates haureat.

In primo nulla: in altero clausulis rhythmicis simul retentis obseruatur quantitas, quod tamen paucis mutatis plane metricum euadet.

Linguam refrenans tempera,

Ne litis horror insonet,

Visum fouendo contege,

Ne vanitates hauriat.

Hodie in lingua Francorum, Italorum, Hispanorum, Germanorum & populorum ferè omnium frequentatur, vnde integra poemata rhythmo scribi more receptum est.

G

98 AVD. TALÆI TROPOSCHÆ.

Testantur rythmi Francisci Petrarchæ Florentini, quos vocant rimi. vt,

Senza il' pan et vino

Amor va bas' e chino. id est,

Sine pane & vino amor ambulat humili & demisso vultu.

Metrum tamen paulatim eius in locum irrepere consuecit, vt Gallica & Italica protestantur exempla, non magis quam germanica, ac reliquæ linguæ, si quãdo eruditionis vberiore fructum nactæ fuerint, testabuntur.

Hæc exempla minus elegantia ad formam saltem & vsum rythmi illustrandum afferre libitum est.

C A P V T V I.

De metro.

METRUM est dimensio poetica certos pedes & certis locis collocatos continens.

Pes est mensura certis syllabarum temporibus definita.

Metrum est altera dimensionis poëticæ species ex rythmo orta.

Est vox græca mensuram denotans, vt verbum *μετρῆν* metiri, vsu latina facta, ideo ad hunc numerum relata poëticum, quod certa mensura concludatur.

Dici-

Dicitur aliis nominibus versus & carmen: hoc quidem à canendo, quod sit aptum cantui, non quod musico vocis modulamine canatur, sed numeris colligatum, apteq; pronunciatum instar cantilenæ cani videatur, vnde & poetæ canere dicuntur.

Illo autem altero per Synecdochen generis, quando quidem olim versus promiscuè sermonis lineæ illæ dicti sunt, quibus verba scribebantur. Itaque in omni scriptura tractus singuli orationis versus sunt appellati, quod Cæsar. 6. de bell. Gall. & Iustinianus de confir. Digestorum testantur.

Postea verò cum redegissent cantum ad numerum castigatiorem, antiquum versus nomē sibi fecere peculiare.

Nomen versus descendit à verbo vertere, quod idem est quod sulcare aut scalpere, tollere aliquid è superficie, ita vt depressio relinquatur. In ceris igitur stylo cum ducerent notas frequentatio vti sunt, sicut & agricolæ: vertunt enim terram, & quod subtus erat, supra vt sit faciunt. Ad quem modū Cic. dicit exarare literas. Scal. 2. poet. 5.

Quocirca aliorum notatio minus apta erit, quod versus dicatur, quia tantisper verti debeat, donec recte constituatur, quanquam ea fuerit poetarum natura, spontè absque vlla ferè meditatione versus fundere.

Definitio metri constat genere, materia seu partibus & forma.

Genus est dimensio poetica, quæ perpetuis certorum spaciorem legibus obseruatur, quas transilire non licet.

Materia seu partes sunt pedes, quos dictiones tam coniunctæ quam simplices efficiunt, ad differentiam rhythmici, ubi certæ syllabæ.

Forma est eorum legitima dispositio, ita, ut singuli certis collocentur locis, nec alter alterius sedem occupet: Veluti hexametrum non nisi sex pedes & quidem dactylos & spondeos regulariter, cæteris exclusis, ordine disponit.

Pes vox metaphorica ab animalibus ad metri partes translata, quod instar animalium pedibus ambulantium metra incedere videantur.

Materia eius sunt syllabæ.

Forma istorum certa dimensio.

Pes ergo non vnicam, sed plures cõtinet syllabas, quæ natura temporis, vel longæ, vel breues.

Tempus hic est debita prolationis mora.

Longa syllabæ quid sit, gradatim ex grāmatica etymologia, per quam prosodia diffusa, discitur, quæ nempe duobus constat temporibus: At breuis quæ vnico, hæc notatur in vocali, hoc apice. v. illa hoc, -

Speciatim verò addisci & obseruari debet ex usu authorum.

Quippe quod vix omnium syllabarum natura vlllo artis limite comprehendi possit.

Quapropter vti significatio cuiusuis dictionis

nis

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. IOI
nis propria ex lexicis: ita ex iisdem vocis quan-
titas vñ probata, & apicibus suis notata, hauri-
enda est, ex quibus tanquam thesauris, quoties
opus fuerit, eam deponere expedir.

CAPVT VII.

De distinctione pedum.

PES est bisyllabus, vel trisyllabus, uterque
simplex & mistus.

Bisyllabus simplex est spondeus longis dua-
bus: & Pyrrhichius totidem breuibus con-
stans.

Bisyllabus mistus est Iambus, breui & lon-
ga: Et Choreus longa & breui.

Trisyllabus simplex est Molossus, longis: &
Trocheus breuibus tribus constans.

Trisyllabus mistus cōstat similibus vel dis-
similibus.

Trisyllabus mistus ex similibus est.

I. Dactylus longa & duabus breuibus: &
Anapæstus duabus breuibus & longa: II. Ba-
cchius breui & duabus longis: & Palimba-
cchius duabus longis & breui. Mistus ex dis-
similibus est creticus longa breui & longa: &
Amphibrachus breui longa & breui constans.

Distinguitur pes ex numero syllabarum seu

partium duarum vel trium. Quamobrem non distinguendus erit ex vocum magnitudine. Sunt enim voces quædam pedum præscriptiones excedentes, quæ vel integrum vel partem metri constituunt, vt Iureconsultissimus.

Horat. epod. 13.

*Lenare diris pectora
Sollicitudinibus.*

Horat. 4. od. 11.

Bellerophontem.

*Quisquis luxuria tristisque superstitione.
& alius distichon.*

*Conturbabantur Constantinopolitani
Innumerabilibus sollicitudinibus.*

Contra innumeræ reperiuntur voces vnius syllabæ, quæ pedem non constituunt. Idcirco cum dictiones eiusmodi plurium syllabarum occurrunt, in bisyllabos aut trisyllabos pedes scindendæ sunt.

Porro pedes per dichotomiam distinguuntur, quæ numero 12. erunt, qui absque declaratione ex descriptionibus sui valoris facile cognoscuntur.

Nomina tantum singulorum ordine interpretabimur, vt iis cognitis, eo citius memoriæ mandentur.

Spondeum deriuari aiunt à σπονδή libamentorum sacrificiorum, in quibus canentes eo sunt vsi, vt vates.

2 Pyrrhichium dictum putant à πυρρικήν velocissimo apud veteres saltationis genere, quod exer-

exercuerūt iuuenes armati, vt fortiores & agi-
liores redderētur. Scal. 1. poet. 8. qui tamen &
ab ignea celeritate dictum arbitratur, vt DEVS.

3 Iambum à *ιαμβίζεν* cōtumelia afficere, ma-
ledicere, quod eo veteres vsi fuerint ad cōuici-
andum, vt ferox.

4 Choreum à chorea saltatione, vbi eius vsus
fuit: vt arma. Alij pro choreo trochæum acci-
piunt, à quibus Fabius dissentit, qui choreo pri-
mam longam, alteram breuem tribuit, tro-
chæo tres breues, dum ex hoc vltima longa ex-
istente anapæstum fieri autumat, quod nisi tri-
bus breuibus constaret, haud fieri posset.

5 Molossium à Molossis populis Epiri, qui eo
non minus quam spondeis in saltationibus tar-
dissimis vsi fuerunt, vt: Venatrix.

6 Trochæum à *τρέχω* curro, quod volubilita-
te instar rotæ currat, vt legere: Dicitur aliàs tri-
brachus.

7 Dactylum à figura digiti metaphoricè vt
spiritus: In digito sunt tres articuli quorum v-
nus longitudine penè æqualis est reliquis duo-
bus.

8 Anapæstum vt fluuios, ab *ἀναπαίω*, id est re-
percutio, quod sono reciproco dactylum refe-
rat cui est contrarius, Dactylus enim initio stat,
deinde impetum capit. Contra Anapæstus im-
pellitur primum, deinde subsistit, vnde & anti-
dactylus dicitur.

9 Bacchium à Baccho, cuius in sacris fuerit
adhibitus: vt amores.

10 Palimbacchiū à *πάλιν* retro quod Bacchio sit contrarius vt cantare. Vnde & Antibacchiū.

11 Creticum, quod in regione Creta fuerit repertus, vt iudices.

12 Amphibrachus ab *ἀμφὶ* vtrinque; & *βραχύς* quod vtrinque æquali sit breuitate, vt Corinna.

Sunt insuper alia plura singulis imposita nomina quæ non admodum scire refert, si quidem magis inscitiam, quam scientiam pariunt, quorū multitudine ingenia intricantur, quæ tamē si cognoscere quis desiderat, ex aliis petat.

Alii propter nomina quatuor syllabarum addunt adhuc 16.

Alij ob quinque syllabarum 32.

Alij 64. ob verba sex syllabarum.

Verum si pedes ex syllabarum numero in dictionibus constituere liceret, tot pene essent pedes, quotuplicia nomina in quocunque linguarum idiomate: atque proinde de pedibus theoremata infinitate infirmarentur, quæ contra artem.

Quare videndum an alia pedum forma peculiaris in dictionibus quadrisyllabis, quæ non cum forma pedum bisyllabarum aut trisyllabarum conueniat, reperiatur: quæ si nequeat, non opus fuerit fictione plurium.

1 In Proceleusmatico duo reperiuntur Pyrrhichij, vt memoria.

2 In dispondeo duo spondei, vt oratores.

3 In

- 3 In diiambo, duo iambi, vt propinquitas.
- 4 Dichoreo, vt cantilena, duo chorei.
- 5 Antispæsto, vt valetudo, iambus & choreus.
- 6 Choriambo vt nobilitas, choreus & iambus.
- 7 Ionico minori, vt redeuntes, pyrrhichius & spondeus.
- 8 Ionico maiori, vt vicinia, spondeus & choreus.
- 9 Pæone primo, vt legitimus, choreus & pyrrhichius.
- 10 Pæone secundo, vt colonia, iambus & pyrrhichius.
- 11 Pæone tertio, vt moriturus, pyrrhichius & choreus.
- 12 Pæone quarto, vt celeritas, pyrrhichius & iambus.
- 13 Epitrito primo, vt sacerdotes, iambus & spondeus.
- 14 Secundo, vt conditores, choreus & spondeus.
- 15 Tertio, vt viuacitas, spondeus & iambus.
- 16 Quarto, vt libertinus, spondeus & choreus.

Quæ cum ita sint nostram sententiam auctoritate & ratione ipsa approbatam, neq; plures neque pauciores esse quam bisyllabos aut trisyllabos pedes concludamus. Quandoquidem vlla vox dari nequeat, quæ non bisyllabis aut trisyllabis expleri possit.

At superfluum esse grammaticorū satagen-

tiam, qui quatuor aut plurium syllabarum pedes conflauere.

Modus verò pedes compositos resoluendi in simplices, pro dispositione ligati & soluti sermonis fieri aut pro arbitrio diuidentis, ne tamen syllaba frustra supermaneat, variari potest. ut Iureconsultissimus: vel choreum, spondeum & dactylum, vel creticū, molossū & pyrrhichiū dabit: ita vox ratiocinationibus varie discerni potest, quæ & integrum efficit versum. Ratio in pedibus inæqualitatis, qua varie pronunciare cogimur, proxima est loquentium arbitrium, licet aliàs ipsa rerum natura statuatur, quarū nomina sunt notæ, quæ tamen non necessariò & vbiq; naturæ respondent, veluti citus, celer, volucer, velox, currere, festinare.

CAPVT VIII.

De affectionibus metri.

AFFECTIONES metri sunt collisio & indifferentia syllaba.

Collisio est vltima syllaba, sequente vocali, absorptio.

Est que } Synalæphe.
 } Eclipsis.

Synalæphe est cum vocalis antecedens eliditur.

Ecli-

Eclipsis cum vocalis cum litera M, absorbitur.

Indifferentia est ultima syllaba in metro licentia, ut anceps sit.

Collisio prima affectionum metricarum, cuius forma est, in dimensione metri syllabam dictionis antecedentis ultimam ob aliam dictionis insequentis vocalem absorbere. Requiritur ergo ut elisio fiat, primum dictiones sint diiunctæ. 2. sequens dictio à vocali tam coniuncta quam simplici incipiat. 3. Postrema antecedentis dictionis syllaba elidatur.

Quam affectionem alias ad grammaticas anomalias relatā iure hic retinemus in numero poëtico, extra quem neque in prosa figurata, neque simplici vsum habet.

Ut verò syllaba duplex vocalis, vel vocalis cū cōsonāte copulatæ: ita duplex inde orta collisio.

Prima dicitur Synalæphe ἀπὸ τῆς συναλείφειν collinere, coniungere, qua dictiones diuersæ q. collinantur, vel quia idem verbum interdum significat, idē quod ἑκαλίφω de leo, expūgo, quod literæ in dimensione expungantur. Hæc fit cū vocalis simplex aut diphthōg⁹ propter sequētis dictionis vocalē oblitteratur, ut, *Maximus ille es.*

Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Siue id fiat in principio, siue medio, siue ante finem metri. Syllaba tamen metri finalis, ob sequentis metri dictionem à vocale incipientem, non eliditur.

*Aulai in medio libabant pocula Bacchi
Impositis auro dapibus.*

Nisi in quibusdam versibus, qui hypermetri vocantur, qui mensuram versus excedant, quæ elisione facta, redditur legitima, ut: sternitur infœlix alieno vulnere cœlumque Aspexit.

Neque elisio in vna eademque dictione fieri solet, ut Virg.

Seu lenta fuerint aluearia,

Horat.

Precipue sanus nisi cum pituita molesta.

Catul.

Mæcusque & mala pituita nasi.

Propert.

Eosdem habuit secum quibus est elata capillos.

In his & similibus exēplis vel anomalia pedum est vel grammatica Synæresis.

Porro Synalæphe interdum licentia poëtica anomalam paritur.

Virg. Eclog. 3.

Vale vale inquit Iola.

Eclog. 6.

Vt littus Hyla Hyla omne sonaret.

Georg. 1.

Ter sunt conati imponere Pelio ossam.

Aeneid. 4.

Et fœmineo vlulatu.

Insula Ionio in magno.

Denique O & Heu (ut vocant) interiectiones, priuilegium habēt ut integræ persistāt, quas & v̄u imitari licet.

Horat.

O & presidium & dulce decus meum.

Ouid.

Heu ubi pacta fides.

Est & alia vocalis oblitteratio, quæ apostrophus appellatur græcis, aliisq; linguis familiaris, quæ etsi rarissime in metro latino offenditur, à quibusdã rectius Apocope appellari videtur.

Catul.

Inger' mi calices amariores.

Altera elisio dicitur Ecclipsis, quæ fit in vocali cum litera M consonante connexa, quoties dictio in metro finitur in literam M, & sequens incipit à vocali, interimitur.

Aeneid. 3.

*Monstrum horrendum informe ingens cui
lumen ademptum.*

Quod alius imitatus.

*Monstrum horrendum immane avidum imo
orco atque Erebo ortum.*

Anomalia olim fuit hic in litera M remanente, dum aliæ consonantes elisæ fuere, vel sine vocali, vel cum ea.

Sed hæc notanda, non imitanda.

Secunda affectio est syllabæ, in metro vltimæ indifferentia, vt vel longa vel breuis esse possit. Vt in hexametri regione vltima requiritur spōdeus, In pentrametri anapaustus: in quorum locum interdum absque vitio choreus & trocheus succedere solet, idem de aliis versuum generibus iudicium.

HIO AVD. TALÆI TROPŌSCHE.

Est & hic non prætereunda cæsura quæ ex numerosa intelligatur compositione, pedes connectente, vt quasi catena inuicem colligentur, vnde metrum concinnius redditur.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Contra eadem deficiente, versus interdum fiunt insuaues, vt cum singulæ dictiones pedem absoluant.

Virg.

Addam cerea pruna.

Sil.

Rome mœnia terruit impiger Hannibal armis.

Species eius quædam recensentur quas cum non sint omnibus metri speciebus communes, suo loco explicandas reseruabimus.

C A P V T. IX.

De metri generibus.

Adonio & Glyconio.

METRI genera simplex & compositum.
Simplex quod paucis constat pedibus.

Estque {
Dimetrum
Trimetrum.

Dimetrum quod duos pedes continet, cuius species Adonium; Dactylo & spondeo

con-

constans. ut,

Terruit urbem.

*Trimetrum est quod tres pedes continet,
cuius species:*

*Glyconium, spondeo & duobus daetylis
constans.*

Quid metrum, Pes & collisio &c. genera-
tim tradidimus. Nunc videndum quæ metri
genera.

Et quia numerus infinitis pene modis conti-
nuatione verborum variari & conformari po-
test, vnde infinita penè genera metri exorta
sunt, atque in dies excogitari possunt: difficul-
ter certas in partes metrum distingui videatur.

Attamen ne ars tantam ob multitudinem di-
strahatur, genera quædam summa vlu frequen-
tiora, & numeris insigniora doctrinæ genera
constitui possunt.

Quot aliàs argumenta logica, tot fere gene-
ra versuum appellata fuere.

Ab efficiente Sapphicum, à materia Iambi-
cum, Trochaicum: à fine elegiacum, à pedibus
quibusdam Daetylicū, Spondaicum, à syllabis
pedum partibus septenarium. ab instrumentis
lyricum, à subiectis rebus heroicum, ab adiun-
ctis vitiis pedum Scazon, & quæ sunt alia quam
plurima. Verum ex his vera differentia forma-
rum, in singulis generibus vix percipitur, cum
omnia extra carminis essentiam.

Quare ut forma aliquantulum distinguatur metrum, facta est distributio ex materia seu partibus, quæ pedes, eorumque numero & ordine tãquam forma in duo summa genera simplex & compositum, ad quæ omnia ferè carmina, formis singulorum additis, aptari possunt.

Simplex ideo dicitur, quod ex paucissimis duobus vel tribus pedibus, respectu aliorum plurium, consideratis conflatur, ultra quos simplicius aliud non extendetur, nisi quis vnico ex pede inconuenienter, quippe quod pars non idem quod totum, fingeret monometrum.

Interdũ verò pede uti & syllaba, genus pœmatis, quod Ouum vocant, incipit & desinit, vnde tamen eodem pede vel syllaba metrum cõsummari perperam concluditur.

Huius species numeroduum vel trium pedum differentes constituuntur Dimetrum & Trimetrum.

Dimetri species insignis & vsu celebrata dicitur Adonium, quod ratione generis constat duobus pedibus, ratione materiæ propriæ continet spondeum & dactylum: formæ denique ratione dactylum primo, & spondeum altero, siue in diuersis, siue vnico tantum verbo disponit. affectione tamen indifferentiæ loco spondei sæpissime vsurpatur Choreus. Dicitur ab Adonide Regio filio, quem venus in delitiis habuit, & in venatione ab apro interemptum hoc carmine luxisse fingitur, vel quod ab eodem fuerit excogitatum.

Vsus

Vfus huius generis est, vt plerunque tribus
subiiciatur sapphicus.

Hor. 1. od. 2.

Ociior aura.

Hor. 1. od. 3.

Mercuriusque.

Hor. 4. od. 11.

Est hedera vis.

Anomalia videri possit, quod loco dactyli
collocatus sit spondeus cum pyrrhichio.

Hor. 1. od. 2.

Vxorius amnis.

Verum, vt vox vxoris integra huic versui at-
tributa, distracta tamen in dimensione ad fi-
nem præcedentis sapphici retrahi debet, vt ex-
emplaria quædam testantur. vt:

*Labitur ripa Ioue non probante v-
xorius amnis.*

Hor. 1. od. 25.

*Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.*

Idem 2. od. 16.

*Grosphæ non gemmis neque purpura ve-
nale neque auro.*

Altera species simplicis est trimetrum, quod
ideo metri distinctione addidimus, ne desit nu-
merus ad quem versus ternarius, si quis in Ho-
ratio aliisue poetis insignis, tanquam species ad
certum genus, referatur.

Sumimus hic vocem trimetri in simplici si-
gnificatione idem non per dipodiam, sed sin-

gulos pedes dimetientes, cuius speciem subieci-
mus vſitatiorē Glyconium à Glycone poëta
inuentum, quod spondeo & duobus dactylis
constat, soletque vel vni Asclepiadeo præponi,
vel tribus subiici.

Horat. 1. od. 3.

Nil mortalibus arduum est,

Cælum ipsum petimus stultitia: neque &c.

Verum pone moras & studium lucri:

Nigrorumq; memor, dum licet, ignium,

Misce stultitiam consiliis breuem,

Dulce est desipere in loco.

Anomalia hic rara est præterquam in primo
pede & vltimo. Horat. 2. od. 12.

Diana celebris die.

4. od. 1.

Cur facunda parum decoro

Inter verba cadit lingua silentio.

Hic syllaba redundat quæ propter sequentis
dictionis vocalem eliditur: illic pro spondeo
Iambus vsurpatur. Huc pertinebunt, Pherocra-
tium spondeo, dactylo & spondeo, constans.

Hor. 1. od. 5.

Nigris equora ventis.

Deinde Alcaicum ex Dactylo choreo & spon-
deo. 1. od. 10.

Lydia dic per omnes.

Denique Archilochium dactylo, choreo &
Iambo, & si quæ sunt alia.

4. od. 7.

Puluis & umbra sumus.

C A P

De Asclepiadeo.

COMPOSITVM est, quod pluribus constat
pedibus.

Estque duplex: Tetrametrũ: Polymetrum.

Tetrametrum fit quatuor pedibus: cuius
species Asclepiadeum è molosso, anapesto, &
duobus dactylis.

Mæcenas atavis edite regibus.

Metrum compositũ est, quod pluribus quã
duobus vel tribus componitur pedibus, & di-
stinguitur in tetrametrum & polymetrum: hoc
tantum quatuor, illud plures continet.

Species illustrior tetrametri est, Asclepiade-
um ab Asclepiade inuentore, cuius pedes sunt
molossus, anapæstus, & duo dactyli. Alij dime-
tiuntur per spondeũ, duos choriambos, & iam-
bum, vnde & choriambicum vocatur. Alij per
spondeum dactylum remanente syllaba, dictio-
nem finiente & duos dactylos.

Verum an pedes quadrifyllabi genuini æsti-
mandi, eorumque vsus amplius, an deinde per-
petuò syllaba vocem finiens supersit, ex supra
dictis subiectisque exemplis constat.

4. od. 8.

Non incendia Carthaginis impia.

1. od. 21.

*Hic bellum lachrymosum, hic miseram fa-
mem.*

od. 24.

Auditam moderere arboribus fidem.

Quamobrem simplicior & rectior nostra erit scansio, in qua tamen plerumque dictio anapaestum absoluit.

Vsus huius carminis est vel solius, vel meri vel commixti cum aliis.

Anomalia fit in tribus pedibus: In 1. Bacchius. in 2. Palimbacchius loco molossi. in 3. Trochæus loco Anapaesti.

Quanquam alii literam H hic & alibi naturam consonantis assumisse opinentur.

Hor. 1. od. 21.

Dianam tenera dicite virgines:

1. od. 3.

Perrupit Acheronta herculeus labor.

1. od. 13.

Certa sede manet humor & ingenas.

Hoc genus carminis syllaba addita transit in formam Elegi.

4. od. 12.

Adduxere sitim tempora Vergili.

Alii huc pertinebunt quaternarij versus.

Alemanius quatuor ultimos Epici pedes complexus.

1. od. 7.

Certus enim promisit Apollo.

Deinde alius spondeo vel dactylo, Bacchio & dactylis duobus constans. Præterea Archilochæus iambo & spondeo, Bacchio & dactylo choreis

choreis compositus. quarto, alius Alcmanius duobus dactylis & choreis, vt ex sequenti apparet strophæ.

2. od. 14.

Eheu fugaces, Posthume Posthume,

Labuntur anni: nec pietas moram

Rugis, & instanti senectæ

Afferet, in domitaque morti.

Denique Tetrametri species est Iambicus minor, ex quatuor Iambis recepto in locis imparib. etiam spondeo, ex quo syllaba abiecta Trimeterum Anacreonticum fieri solet, vt:

Guttur senile fregerit,

Guttur senile fregit.

Hi versus partim meri, cum aliis misti in vsu reperiuntur.

CAPVT XI.

De Phaleucio & Sapphico.

POLYMETRVM est, quod constat pluribus quam quatuor pedibus.

Estque } Pentametrum,
 } Hexametrum.

Pentametrum constat quinque pedibus.

Est phaleucium Sapphicum, & Elegum.

Phalucium spondeo, dactylo, & tribus choreis, vt:

Passer delicia mea puella.

Sapphicum choreo, spondeo, dactylo, & duobus choreis. ut:

Integer vitæ, scelerisque purus.

Polymetrum dicitur, quod multis pedibus, id est pluribus quam quatuor componitur, ad quod non modo quoduis senarium, verum etiam octonarium gradatim refertur.

At hic species polymeri non ultra sex pedes extensi, quinarium & senarium tantum usu frequentiora proponimus.

Quinarij seu pentametri tres sunt species. Phaleucium, sapphicum, & Elegum, quarum priores duæ hoc capite continentur.

Phaleucium à φαλεύκω inuentore dictum. Primo loco spondeum, secundo dactylum, reliquis tribus, choreos continet, quorum syllabæ, cum facta elisione computantur, undecim sunt, à quibus Hendecasyllabum per synecdochen generis, (quia & sapphicum à totidem syllabis ita vocari potest) appellatum est.

Perpetuo absque aliorum commissione merum reperitur,

Catul.

Lugete o veneres cupidinesque,

Et quantum est hominum venustiorum.

Passermortuus est mea puella,

Passer delitia mea puella.

Anomalia fit in prima regione, ubi pro spondeo vel choreus vel iambus assumitur, quod vilitatissimum Catullo, idemque liberè interdum

imitari

CUM SCHOL. I. CRENECARPI. IT
imitari licet, deinde aliquando syllaba in fine e-
lidenda redundat, vt:

*Quanam te mala mens, miselle Rauide
Agit præcipientem in meos fambos,
Quis DEVS tibi non bene aduocatus
Recordem parit excitare rixum.*

Hendecasyllabum paucis mutatis, atque syl-
laba addita tráfit interdū in senariū iambicum.

*Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetuo vna dormienda.
Nobis semel cum per breuis lux oecidit,
Nox vna cunctis dormienda est perpetim.*

Altera species pentametri est sapphicum à
σαπφώ puella poëtria, quæ hoc carmine artifi-
ciosè cecinit, dictum, quod pedes habet vix mu-
tabiles: choreum, spondeum, dactylum, &
duos choreos.

Vfus eius est, vt plerumque cum Adonio
coniungatur.

2. od. 16.

*Letus in presens animus, quod ultra est
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu, nihil est ab omni
parte beatum.*

Nec tamen necessarium, vt sententia stro-
pha absoluator, quæ crebrò in sequentem dif-
fertur, vt:

2. od. 11.

*Informes hyemes reducit
Iuppiter, idem
Summonet.*

Anomalia animadvertitur apud Catullum.

Sen Sacas sagittiferosque Parthos,

Pauca nunciate mea puella.

Qui illius culpa cecidit velut prati

Ultimi flos.

Sapphicum pedibus transpositis transit in phaleucium.

2. od. 16.

Ocyor cervis, & agente nimbos

Ocyor Euro.

C A P V T XII.

De Elego.

ELEGVM constat duobus primis locis, dactylo vel spondeo: tertio, Spondeo cum anapestis duobus, ut:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Tertia species Tetrametri illustris est, Elegum, ab ἐλεῖω misereor, quod eo primum lugubria descripta fuerint, ut testatur Ovidius de morte Tibulli.

Flebilis indignos elegeia solue capillos,

Ab nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Et Horat. 1. od. 33.

Albi ne doleas plus nimio memor

Immitis Glycera, neu miserabileis

Decantes Elegos.

Huius dimensio duplex statuitur: vna in primis locis duobus indifferenter spondeum vel dacty-

dactylum recipit, remanente syllaba, longa: in
3. & 4. solos dactylos, altera manente syllaba,
quæ cum priori pedẽ constituit: Alia eosdẽ pri-
mos pedes sibi vendicat, at in tertio, spondeũ,
quarto denique & tertio, anapæstum, quam
auctoritate veterum & recentiorum approba-
tam sequimur, quando quidem liquidò constat,
Elegos non perpetua cæsura, sed tractu ad ana-
pæstos ductos esse.

Catull.

*Qui ipse sui gnati imminxerit in gremium,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Troia virum & virtutum omnium acerba ci-
nis.*

Propert.

*Querere non impune illa rogata venit,
Immortalis ego si altera talis erit.*

Anomalia fit interdum in secunda, & tertia
regione cū loco spondei Iambus succedit, quo
opinionem Grammaticorum, Elegum vitietur,
vñ tamen eundem approbante.

Ovid.

Nec quæ præteriit hora redire potest.

Propert.

Vinceris aut vinces, hæc in amore rota est.

Tibull.

Fecit ut infamis hic DEVS esset amor.

Dux pecoris hircus, dux erit hircus ovis.

At quidam literam consonantem fieri au-
tumant, quod si verum, qua ratione Iambos se-
quentes excusum non habeo.

Catull.

Perpecta exigitur unica amicitia.

Tibull.

*Quicquid agis sanguis est tamen ille tuus,
Sed chorus & cantus & lenis aptus amor.*

Propert.

Venerit alter amor acrius ut moriar.

Quid.

Indigus effectus omnibus ipse magis.

Videmus ergo iambum interdum in cæsura admitti. Solent hoc loco vitia enumerari in dimensione Elegi vitanda.

Primum ne elisio fiat in tertii pedis cæsura, quod superiora aliaq; plura refellunt exempla.

2 Ne desinat pes tertius in monasyllabam, ut:
Ne capiti soles, ne noceant ue nives.

Quod tamen usu non rarò frequentatum.

3 Ne desinat vltimus in tres vel quatuor syllabas, quod plus centies, in Catullo, Tibullo, Propertio, & alibi factitatum experimur, quin interdum consultò, quod inuersis pedibus evitari potuisset.

Tibull.

Bellica dum dubiis rostra dedit ratibus.
Nec quicquam Catullo familiarius est in singulis Elegiis trisyllabos & quadrisyllabos admiscere, ut de Elegia, *Quod mihi fortuna &c.* manifestum est.

4 Denique vitium sit, si vltimus in monosyllabum finiatur, quod tamen contrà usus approbavit.

Verum hæc aliâque plura, quæ putantur vitia au-

tia auctoritate poetarum imitari licet: ita tamen
 vt perpetuo prout rerum conditio postulat, cō-
 uenienter & appositè adhibeantur, & varien-
 tur, ne forte in conuenientia & societate vitia
 incurramus. Similitudo enim frequens natura
 fastidio est.

Vsus Elegiæ est, vt numquam ab Epico præ-
 ter vnum Virgilij exemplum separetur.

Sic vos non vobis mellificatis apes.

Fertis aratra boues,

Nidificatis aues,

Vellera fertis oues.

Vtroque coniuncto sententia interdum ab-
 soluitur, interdum in secundū aut tertium ver-
 sum, aut ultra absoluenda protrahitur, quod ex-
 empla quamplurima testatum faciunt.

Catull.

Quod tibi cum casu, pulcerrima Laodomia,

Ereptum est vita dulcius atque anima

Coniugium --

Nec tantum niueo ganisa est illa columbo,

Compar, que nullo dicitur improbius

Oscula mordenti semper decerpere rostro.

Tempore quo primum vestis mihi tradita

pura est,

Iucundum cum atas florida ver ageret,

Multa satis lusi.

Præter has tres species ad pentametrum re-
 ferri possunt versus Horatij.

1. od. 4.

Vulcanus ardens vrit officinas.

Miserarum est neque amori dare ludum.

CAPVT XIII.

De Epico.

HEXAMETRVM est quod è sex pedibus componitur.

Cuius species Epicum, constans in quatuor primis locis spondeo vel dactylo, quinto, dactylo tantum, sexto spondeo, ut:

*Arma virumque cano, Troiæ qui primus abo-
ris.*

Hæc de pentametris.

Hexametrum est, quod sex pedibus constat, omnisque generis versus senarios complectitur.

At speciatim Epicum seu Heroicum vsu frequentissimum, hic solum docetur.

Dicitur Heroicum à rebus subiectis Heroicis, quæ hoc genere scribi solent.

Epicum ab ἔπος ob præstantiam, & Hexametrum, ob sex pedes per synecdochen.

Cuius pedes sunt legitimi in primis 4. locis indifferenter spondei & dactyli, meri vel misti, in quinto, dactylus solus, in sexto, spondeus vel choreus, ut:

Illi

Virg.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt.

*Quadrupedante putrem sonitu quatit ungu-
la campum.*

Anomaliam videmus in primo pede, vbi lo-
co dactyli Anapaestus vel proceleusmaticus, id
est, duo pyrrhichij ponuntur,

Fluuiorum Rex Eridamus.

Tenuia nec lana.

Arietat in portas.

Parietibus textum cecis iter.

Deinde in secundo, & tertio, pyrrhichius &
Iambus assumitur.

Pectoribus inhians,

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

*Olli serua datur operum haud ignara Mi-
nerua.*

Denique in quinto duo pyrrhichij.

Tityre pascentes a flumine reice capellas.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Vel spondeus tam alio spondeo quam dacty-
lo praecutrente.

Aut leues ocreas lento ducunt argento.

*Constitit atque oculis phrygia agmina circum-
spexit.*

Catull.

Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata,

Tale fuit nobis Manlius auxilium.

Nam tum Helena raptu primores Argiuorum,

Caeparat ad sese Troia ciere viros,

Hi versus dicuntur spondaici, fiuntque propter rerum grauitatem & tarditatem.

Denique vel Iambus vel Trocheus, vt:

Pampineo grauidus autumno.

Mollifultus Hyacintho.

Vt Epicum cum virtute fieret, Grammatici duas præcipuas cæsura species obseruandas tradiderunt. Penthemimerim, semiquinariam, cū post duos primos pedes relinquitur semipes: & Heptemimerim septenariam cum post tres pedes primos semipes superest, vt:

Tityre tu patula recubans.

Verum quia eadem species nec soli Epico, sed aliis quoque metris congruunt, nec solæ, generatim cæsura, quæ apta pedum singulorum connexio obseruari debet, vt vbicunque eiusmodi connexio sine vitio fieri possit, dictiones inter se apte connectantur & colligantur. vt,

Ad cælum lepto vocare versu.

Contrahes vento nimium secundo.

Deinde omnimodas dictiones in quinto & sexto, collocandas vetuerunt, cum tamen vsus euincat non modo trisyllabas & bisyllabas, sed quadrisyllabas, & monosyllabas adhiberi, præsertim quando rerum decorum obseruandum. vt,

*Sternitur, exanimisque tremens procumbit
hami bos.*

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus.

Vertitur interea cælum, &ruit Oceano nox.

Cum sociis natoq, penatibus & magnis diis.

Multo

Multo gemitu lachrymisque

Perfecta nitens Elephanto.

Mole sua stat.

Et alia varia exempla quam plurima idem testantur quæ usu discenda.

Præter Epicum aliæ species ad hexametrum accommodari possunt.

Hor. 1. od. 4.

Pallida mors a quo pulsat pede pauperum tabernas.

Hor. 1. od. 8.

Oderit campum patiens pulueris atq; solis.

2. od. 3.

Sen plures hyemes seu tribuit Juppiter ultimam.

3. od. 12.

Celer arcto latitantem fruticeto excipere aprum.

Eg. 2.

Beatus ille qui procul negotiis.

Hoc postremum Iambicum senarium appellant, quod vel meros Iambos, vel in locis imparibus admistos spondeos habet, aliosve correspondentes.

Catull.

Phasellus ille quem videtis hospites

Aut fuisse namum celerrimus.

Hæc de metri generibus ad quæ singula alias species carminum certis & simplicibus pedibus dimensi retulimus, si quis eorum aliam sibi eligere malit dimensionem commodiorem, liberum erit, sequitur nunc oratorius numerus,

De numero Oratorio.

ORATORIA *dimensio est poetica sibi que
perpetuo dissimilis.*

Genus est dimensio certa non incerta, dictionum sonos dimetiens, quæ originem trahit ex poetica, cuius voluptatem Rhetores ad flecendum aures populi imitati fuerunt.

Forma describitur ex duplici dissimilitudine, qua à poetico differt numero, id est, ut sit dissimilis poetico: deinde & perpetuo sibi ipsi.

Confectarium ergo huic elicitur metricos numeros in oratoria dimensione locum non habere, ut ne vel in principio, medio, sine integrum versum, eiusve partem, initium aut exitum assumamus.

Aliunde tamen loco testimonij citare licet. Et quanquã infiniti versuum modi excogitati, ut vix certum sit evitare versum: Attamen quoniã consultò & prudenter poscimus eos, præsertim quorum forma familiaris, usu trita & cuique obuia, cautè deuitemus, ne temere aberrasse numerosque confudisse videamur. Deinde neque rythmici adhibendi sunt numeri, nisi in repetitionibus, id est cum & figuræ dimensionis & repetitionis concurrunt, vti que maioris delectationis gratia coniunguntur.

Alterum, confectarium est oratorium numerum non certis legibus ut poeticum astrictum, sed

sed perpetuo variari & mutari.

Mutatio autem fieri debet potissimum in clausula, ad quam animus auditoris aspirat, in eaq; acquiescit, quæ si perpetuo eadem aut minus sonora, facile à iudicio & fastidio aurium superbo repudiatur, vti enim conueniens harmonia ex acuto & graui alternatim permutatis oritur: ita suauissima symphonia ex numeris dictionum varie variatis in prosa resonat, veluti cum spondeo hanc: at illam dactylo aliisve pedibus concludes sententiam: sin hanc dactylis, alias choreis, præsertim geminis, id est dichoreis, qui dulcissime cadunt, finies.

Et summatim mistura & temperatio pedum non admodum scrupulosè ne artificium numerorum animaduertatur, vbique obseruanda est.

Principij cura est minor, at medij minima, ad quod auditor non admodum vacuis auribus attendere solet.

Adiuuans numerum oratorium est bonitas literarum, quæ non minus hic, quam in poeticis eligenda, vt perpetuo dissimiliter & apte inter se resonent. Quod si contra fit, vitiosa redditur oratio.

Solent alias huc referri de commatis seu incisis, membris seu colis, periodo seu puncto regulæ, quæ partim ad Grammaticam, partim ad Logicam pertinent: Si quidem logica dispositio vnamquamque sententiam ratione: at ortho-

graphia certis notis distinguere docet, quarum cognitio inde petenda. Hoc in numero oratorio vsus optimus erit magister.

Exempla.

Cic. Catil. 1.

Patere tua consilia non sentis? --

*Constrictam iam omnium horum conscientiam
tempori coniurationem tuam non vides?*

Nihil - ne nocturnum presidium palatii, v - v -

Nihil urbis vigilia, v v v -

Nihil timor populi, v v -

Nihil consensus bonorum omnium, - v -

Nihil horum ora vultusq; mouerunt. ---

Item.

Nihil agis, v v

Nihil moliris, ---

Nihil cogitas, - v -

Quod ego non modo audiam, - v -

Sed etiam videam, v v -

Planeque sentiam. - v -

Sæpissime numero oratorio figuræ repetitionum admiscuntur.

Fuisti igitur apud Leccam ea nocte Catilina;

Distribuisti partes Italia,

Statuisti quo quemque proficisci placeret.

*Delegisti quos Romæ relinqueres, quos tecum
educeres:*

Descripsisti urbis partes ad incendia.

Confirmasti te ipsum iam esse exiturum.

Dixisti

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. 131

Dixisti paululum tibi esse etiam tū mora quod
ego viuerem.

Facere non modo ad obsidendum stuprum, ve-
rum etiam ad facinus obeundum.

Vigilare non modo ad insidiandum somno ma-
ritorum, verum etiam bonis occisorum.

Catil. 2.

Magis mihi videntur vota facturi cōtra Repub.
quam arma laturi.

Cat. 3.

Ad me vocaui, rem omnem exposui, quid fieri
placeret ostendi.

Cat. 4.

Neque enim turpis mors forti viro potest acci-
dere, nec immatura consulari, nec misera
sapienti.

Multa tacui, multa pertuli, multa concessi.

Pro Marc. Mar.

Ergo & mihi & mea pristina vita consuetudi-
nem Cai

Cesar interclusam aperuisti.

Et his omnibus ad bene de omni Repub. speran-
dum quasi signum aliquod sustulisti.

Vt eos saepe quos nunquam vidimus, diliga-
mus, - u - u

Quibus laudibus efferemus, - u - u

Quibus studiis prosequemur, - u - u

Qua benevolentia complectemur, - - - u

Omnem spem salutis ad clementiam victoris
& sapientiam contulisse.

I 2

Sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur.

CAPVT XV.

De figura repetitionis.

FIGVRA *dictionis in repetitione est quando sonus repetitur.*

Est q̄ soni similis & dissimilis.

Soni similis repetiti continue vel disjunctim.

Continue repetitur in eadem vel diuersa sententia.

De prima specie figuræ lecticæ in dimensione sonorum hætenus dictum est, quæ rythmicum, metricum, & oratorium numerum docuit, altera sequitur in repetitione sonorum, quæ docendi gratia vnico verbo appelletur apætēsis, illa anametresis.

Definitur ex genere subintellecto, quod sit figura dictionum, quas vt aptè inter se resonēt, figurat: ita vt à vulgato more oratio declinet. Deinde ex forma, quæ est repetitio sonorum in dictionibus, siue integræ, siue earum syllabæ quædam, bis, ter, quater, aut pluries, sono sibi mutuò respondentes in certis locis iterentur, vt quasi repercussio fiat, qua auditores mirifice afficiuntur, cum res absque repetitione dici potuisset, & tamen subinde repetitur, vnde auditor

ditor ad attentionem excitatur, veritus rei quãdam rationem certam subesse.

Quemadmodum in harmonia, ea optima & ratione artificiosa iudicatur, quæ selectis (vt vocant) figuris cōcinnata, propterea quod eiusdē modulationis iterationes, interuallis tamen temporum, sonorum acumine, & grauitate, vel lentitudine, & celeritate distinctæ, & cum primum auribus hauriuntur, mirum in modum animos hominum afficiunt, & deinde cum sæpius audiuntur, maiorem delectationem afferunt. Non aliter se res habet cum repetitionibus Rhetoricis harmoniam musicam imitatis, sonis variis, animi vix expleri aut fastidio aliquo saturari queant.

Verum cum nil adeo inimicum sit auribus, quarum sensus impatiens facietatis ac indies cupidus nouitatis, quam sine vlla viciffitudine vnus iisdemque repetitionibus onerari, atq; eandem, vt dicitur, cantilenam cani.

ὡς καὶ τῆ μέλιτος τὸ πλεόν ἐστὶ χολή.

Ideo variij modi repetendi vsu & ratione sua dēte à Rhetoribus excogitati fuere, quibus nausea & satietas deuitaretur.

Primum repetitiones fiunt vel similibus sonis, vt quando aures similitudine languescant, dissimilitudine viciffim, vel contra, reficiantur.

Deinde variatur similitudo sonorum vel cōtinue, cum soni continue cōiunguntur & quasi cohærent, vel disunctæ cum distrahuntur in

principiis solum vel finibus, vel vtrisque, vel mediis & finibus simul.

Denique similitudo soni quæ fit continue, vel in vna eademque sententia, vel diuersis & distinctis iteratur.

De quibus omnibus speciatim agetur.

Dichotomia detracta figuræ repetitionum nouem enumerantur.

Epizeuxis, Anadiplosis, Climax, Anaphora, Epistrophe, Epanalepsis, Epanodos, Paronomasia, & Polypoton.

Hisce neque pauciores neque plures liceat excogitare, quanquam interdum plurimæ, sicuti in allegoria multi tropi, vsu concurrant, vnde tamen forma singularum non mutatur.

Easq; in omni oratione tam ligata quàm soluta, non tamen æqualiter, imitari possumus, quod vsus moderabitur.

C A P V T X V I.

De Epizeuxi.

EPIZEUXIS est figura cum idem sonus dictionis continue in eadem sententia repetitur.

Generalis figuræ repetitionis definitio & distinctio præcedenti capite proposita fuit: succedunt nunc eiusdem species.

Prima est Epizeuxis ab ἄνωγειν ἀδύναται adiungere, latine geminatio dicta, in qua, loco generis verba cæteris figuris partim communia, ob defectum

fectum vocabuli generalis ea omnia complectentis, necessario repetuntur. Quorum communione primum à vulgati modo discedit, reddendo dictiones aptè inter se cōsonantes, dum eundem repetit sonum æque ac reliquæ, paronomasia & polyptoto exceptis.

Forma verò repetit sonos in eadem sententia continuè, siue in principio, medio, siue fine.

Cæterarum repetitio licet fiat cōtinue, attamè in diuersis sententiis & certis locis fieri solet.

Non obstabit, quod interdum dictio vel integra sententia, sine vel cum parenthesi interueniat, modo repetitio ad vnam eandemq; sententiam priorem pertineat, ita vt sensum eius inceptum absoluat. Quod si interdum parenthesis lōgior fuerit, repetitæ dictioni verbū, inquam, quod monet sequentem repetitionem præcedenti connexam, addi solet:

Sonus hic & in syllabis & integris dictionibus vsum habet.

Exempla.

Virg. Eclog. 2.

O Corydon Corydon quæ te dementia coepit?

Eclog. 5.

Ipsa sonant arbusta DEVS DEVS.

Aeneid. 2.

Insequitur, iā iāq; manu tenet, & premit hasta.

Aeneid. 12.

*Concurrunt Tyrrhene acies atq; omnibus vni,
Vni odiisque viro, telisq; frequentibus instant.*

Interuentu aliarum vocum.

Aeneid. 6.

Bella horrida bella.

Aeneid. 3.

Sed fugite o socii fugite.

Interueniente integra sententia.

Eclog. 8.

Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuuen-
cam

Per nemora, atque alios querendo buculatu-
cos

Propter aquarium viridi procūbit in herba

Perdita, nec sera meminit decedere nocti,

Talis amor teneat, nec fit mihi cura mederi.

Eclog. 9.

Sed si quis (que multa vides discrimine tali)

Si quis in aduersum rapiat casusque Deusque

Te superesse velim, tua vita dignior etas.

Hor. 2. od. 14.

Eheu fugaces Posthume Posthume

Labuntur anni.

1. Epi.

O ciues ciues querenda pecunia primum.

Quid. 2. artis.

Decidit atque cadens pater o pater auferor, in-
quit.

Med. 1a1.

Ausus es (o iusto desunt sua verba dolori)

Ausus es Asonia dicere cede domo.

Terent.

O Parmeno mi o mearum voluptatum omnium

Inuen-

Inuentor, inceptor perfector.

Cic. pro Sestio.

*Eos qui diuina & humana Iura violarint, uo-
xarint, perturbarint, euerterint.*

Pro Marco. Mar.

*At uero eius gloria Cesar quā es paulo ante ade-
ptus, socium habes neminem: totū hoc quan-
tumcunque est (quod certe maximum est)
totum, inquam, est tuum.*

Pfal. 22.

Deus meus, DEVS meus, quare me dereliquisti?

Pfal. 48.

*Propter me faciam propter me, ut non blasphe-
mer.*

LUC. 12.

Ierusalem Ierusalem que occidis prophetas.

C A P V T X V I I.

De Anadiplosi.

ANADIPLOSIS est cum idem sonus in fi-
ne precedentis & principio sequentis
sententiae repetitur.

Prima figura soni continue repetiti in eadem
sententia fuit Epizeuxis: altera sequitur in di-
uersis, Anadiplosin & Climacem complectens.

Anadiplosis dicitur ab ἀναδιπλόω reduplico,
latinis reduplicatio, quæ vox quidem generalis,
definitione specialis redditur.

Communione generis sonum continuè repetit, sed formæ proprietate in fine antecedentis & principio sequentis sententiæ, ita ut utraq; diuersum argumentum contineat.

Sonus intelligitur non modo in syllabis vel dictionibus iisdem, sed etiam in integro sensu, veluti cū sæpe numero terminus Elegi in principio Epici resumitur. Deinde neque perpetuo præcise consideratur, modo paulo ante eum, dictione interposita collocatus, idē in sequenti exordio iteretur.

Præterea non clausula versus, sed argumenti & sententiæ intelligenda est, quæ si diuersa fuerit huc, sin eadem, ad Epizeuxin pertinebit ut,

Aeneid. 10.

*At vero ut vultum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris.*

Denique principium & in medio eiusdem versus, sententiis concurrentibus distinctis, attenditur.

Exempla.

Quid.

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsa.

Eclog. 6.

*Addit se sociam timidisq; superuenit Aegle,
Ægle Naidum pulcerrima.*

Eclog. 8.

*-- Sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in syluis.*

Per-

Georg. 1.

*Perq³ duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes aequoratingi.*

Aeneid. 3.

*Cum procul obscuros colles humilemque vi-
demus*

Italiam, Italiam primus conclamat Achates,

Aeneid. 7.

*-- Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.*

Ouid. 3. amor. 9.

Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes,

Cretes nutrito terra superba fove.

1. Trist. 7.

Te iubet à patria discedere Caesaris ira,

Me pietas: pietas hac mihi Caesar erit.

Terent.

*Vbi duxere impulsu vestro: vestro impulsu exi-
gunt.*

Cic. pro Arch.

*Sic eius aduentus celebrabatur, ut famam in-
genii expectatio hominis: expectationem i-
psius aduentus superaret.*

In Catilin.

*Hic tamen vivit: vivit? imo etiam in senatum
venit.*

In sequentibus repetitio fit aliis vocibus in-
teruenientibus.

Aeneid. 12.

*Ad caelum undabat vortex turrimque tenebat,
Turrim compactis trabibus, quos eduxerat
ipse.*

Ouid. 3. trist. 1.

*Hic quoque cognosco natalis stamina nostri,
Stamina de nigro vellere facta mihi.*

Postremo integra enunciatio pene iteratur.

2. Amorum. 5.

*Nullus amor tanti est abeas pharetrate cupido,
Ut mihi sint toties maxima vota mori.*

*Vota mori mea sunt, cum te peccasse recor-
dor*

Heu mihi perpetuum nata puella malum.

1. Art.

*Illam leget tempus, medici quoque tempora ser-
uant,*

*Quo facilis domina mens sit & apta capi:
Mens erit apta capi.*

Psal. 121.

*Stabant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem:
Ierusalem qua edificatur ut sit civitas.*

Philip.

*Factus obediens usque ad mortem: mortem au-
tem crucis.*

CAPV T. XVIII.

De Climace.

CLIMAX est anadiplosis cum pluribus
gradibus continuata.

Prima species figuræ sonum continuum in
diuersa sententia repetentis fuit anadiplosis: al-
tera

tera est climax, cui loco generis vox anadiplofis assignatur, quod idem sonus in fine præcedentis & principio sequentis sententiæ repetatur: ita vero ut repetitio per gradus subinde progrediatur, unde & hoc Schema Climax, id est gradatio seu scala appellatur.

Differunt superior anadiplofis & climax, quod hæc plures contineat repetitiones eiusmodi: illa vnicam.

Diffimilia exempla quæ huc referuntur vulgò, ad aliud genus potius, quam Climacem quadrant.

Aeneid. 7.

*Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente
myrica*

*Accipimus, Fauno Picus pater, isq; parentem
Te Saturne refert, tu Sanguinis ultimus au-
thor.*

Ouid.

*Quod sequitur fugio, quod fugit ipse sequor.
Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.*

Cic. pro Milone.

*Nec vero se populo solum, sed senatui commi-
sit: nec senatui modo, sed etiam publicis &
armis: neque his tantum, sed eius potestati,
cui senatus totam rempubl. commisit.*

Etenim in argumentatione gradationes logica fieri possunt, quæ tamen non commiscendæ sunt cum Rhetoricis, in quibus necesse est, ut continue & frequenter reduplicatio fiat.

Sin tantum semel vel nunquam, alio spectabūt.
Interdum vero vtraq; coniungitur. Vfus huius
schematis q̄ nimis affectetur, parcus esse solet.

Exempla.

Ouid. 3. Fast.

*Mars videt hanc visamque cupit, potiturque
cupita.*

Trist. 3. El. 3.

*Quid fugis ut vincas, quid victus Parthe re-
linquis,*

Parthe malū iam nunc Mars tuus omē habet.

Aeneid. 9.

*Ortylium Ceneus, victorem Cenea Turnus,
Turnus, Ityn.*

Buchan. Psal. 7.

*Me persequatur dum capiat sequens,
Captumq; sternat, Arabum & humi pede,
Conculcet & sceptri superbum,
Proterat abiiciatque fastum.*

Cicero.

*Africanus industria virtutem, virtus gloriā,
gloria amulos comparavit.*

2. Pet. 1.

*Præstate in fide vestram virtutem, in virtute
scientiam in scientia abstinentiam, in ab-
stinentia patientiam, in patientia pietatem.*

Rom. 5.

*Scientes quod afflictio patientiam pariat: pa-
tientia probationem, probatio spem: porro
spes non pudefacit.*

CAP

De Anaphora.

ANAPHORA est cum idē sonus in principio sententiarum iteratur.

Tres fuerunt figurę in continua repetitione, quę sequuntur, fiunt in disiuncta, cum soni in sententiis longius separantur, quę numero 4. Anaphora, Epistrophe, Epanalepsis & Epanodos.

Priores fiunt eodē loco, posteriores diuerso.

Anaphora ab ἀναφορά dicta, hoc capite absoluitur, latine relatio, cuius vis non e quidem ex notatione, sed definitione petenda.

Quandoquidem figurę nominibus minus reciprocè, notatione inuestigata, quod ferè eandem contineant ex nomine deductam rationem, distinguuntur. Vt anadiplosis nomen cōuenit anaphorę & Epizeuxi contrariè.

Differentia ergo obseruanda ex sono nominis & definitione formam explicante.

Genus anaphorę subintelligitur, quod est figurę disiunctim, & eodem loco sonum similem repetens.

Forma eundem repetere in principiis sententiarum, qua distinguitur ab Epistrophe, quę eodem quidem sed finali sonum iterat. Sonus primo in syllabis dictionis sententias incipientis: deinde integra sententia: tertio in hemistichio: quarto, integro versu repetitur.

Vsus præ cæteris est frequentissimus, ut ne vlla pars Etymologiæ, quæ voculas vsu repetitas non suppeditet, continetque multum venustatis & grauitatis, atque tam ad augendam, quam exornandam orationem adhibetur.

Heterogenea exempla quæ huc referri videntur, sunt.

Aeneid. 12.

--- *Saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum ingens.*

Aeneid. 3.

Rex Anius, rex idem hominum.

Eclog. 8.

--- *Pinosque loquentes
Semper habet, semper pastorum ille audit ameres.*

Exempla.

Aeneid. 2.

*Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprehensa manus effugit imago.*

Eclog. 2.

*Pan primus calamos cera coniungere binos
Instituit: Pan curat oves ouiumque magistros.*

Georg. 2.

*Nec dum etiam audierant inflari classica, nec
dum
Impositos duris crepitare incudibus enses.*

At pia

Ouid. 4. trist. 2.

At pia nil aliud, quam me dolet exule coniux:

Hoc nimium nostri scitque gemitque mali.

Nescit in immenso iactari corpora Ponto,

Nescit agi ventis, nescit adesse necem.

3. trist. 3.

Me miserum, tu si, cum diceris exulis vxor,

Auertis vultus, & tegit ora pudor.

Me miserum, si turpe putas, mihi nupta vi-

deri:

Me miserum, si te iam pudet esse meam.

Tempus ubi est illud, quo te iactare solebas

Coniuge, nec nomen dissimulare meum?

Tempus ubi est, quo te nisi non vis illa referr

Et dici memini, iuuit & esse meam.

Hemistichium penè in sequentibus itera-

tur.

Eclog. 6.

Ah virgo infelix qua te dementia cœpit,

Pratides implerunt falsis mugitibus agros.

At non iam turpes pecudum tamen vlla secuta

est

Concubitus: quamuis collo timuisset aratrum.

Et saepe in leui quaesisset cornua fronte,

Ah virgo infelix tu nunc in montibus erras.

Ouid. 3. art.

Nec qua praterut rursus reuocabitur vnda,

Nec qua prateriit hora redire potest.

Catull.

Passer mortuus est mea puella,

Passer delitia mea puella.

K

Integer versus Ecloga 8. octies in principiis iteratur, qui alias vocatur intercalaris, quod intercaletur, id est interponatur.

Incipe Manaleos mecum mea tibia versus.

Terent.

Dies noctesque me ames, me desideres, Me somnies, me expectes, de me cogites, Me speres, me te oblectes, mecum tota sis.

Cic. pro Quintio.

Quid hac amentia? quid hac festinatio, quid hac immaturitas tanta significat? non vim, non scelus, non latrocinium.

Agrar. 2.

Quid enim est tam populare quam pax, qua non modo ii quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atq; agri letari videntur. Quid tam populare quam libertas?

Agrar. 1.

Sollicitam nisi civitatem suspitione, suspensam metu, perturbatam vestris. ll. & concionibus & seditonibus tradidistis.

Hic sonus syllabarum repetitur.

Pfal. 18.

Dominus illuminatio mea & salus, quem timebo? dominus protector vita mee, a quo trepitabo?

C A P

De Epistrophe.

EPISTROPHE est quando idem sonus in clausulis iteratur.

Anaphorę officium est in principiis repetendis: at contra Epistrophes in clausulis, cum syllabę conformes, vel dictiones, vel integrę sententię & versus in finibus reperuntur.

Dicitur ἀπὸ τοῦ ἐπιστρέφω conuerto, latine conuersio, quod repetitionem soni ad postremum verbum in sententiis conuertamus.

Alio nomine dicitur ἐπιτροπή, ἀναστροφή.

Huc referantur Homœoptotō, similiter cadens, cum simili sono casuum desinūt commata aut cola, vt hominem laudas egentem virtutis, abundantem fœlicitatis.

Deinde homœoteleuton similiter desinens, cum in verbis aut aliis vocibus, quando quę casus habent simili sono membra desinunt, vt turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Denique parison æquatum cum similes soni.

Qui tamen modi si quid ornata repetitionis referūt, definitione Epistrophes generatim comprehenduntur, nec diuersas species constituūt. Eadem enim repetitio clausularum est siue in nominibus siue in verbis, aduerbiis &c. siue syllabis seu dictionibus fiat, quę vsu obseruanda, non ex eiusdem variatione peculiaris præcepta fingenda.

Exempla.

Terent.

*Quibus nunc sollicitor rebus ne aut alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit ali-
quid.*

*Adolescenti ipsi oculos eriperem, posthac præ-
cipitem darem, Ceteros ruerem, agerem, ra-
perem, tunderem & prosternerem.*

Concurrit hic simul Epizeuxis.

*Humanum est ubi sic factum, ad matrem vir-
ginis*

*Venit ipse ultrò, lachrymans, orans obsecrans,
Fidem dans, iurans se illam ducturum do-
mum,*

Ignotum est, tacitum est, creditum est.

*Rem cognosces, iram expedies, rursus in gra-
tiam restitues.*

Cicero pro Milone.

*Est enim hæc iudices non scripta sed nata lex,
quam non didicimus, accepimus, legimus:
Verù ex ipsa natura arripuimus, hausimus,
expressimus: ad quam nõ docti, sed facti, non
instituti sed imbuti sumus.*

In sequentibus repetitur dictio.

Georg. 4.

*Oceanitides amba,
Amba auro, pictis incinctæ pellibus amba.*

Aeneid. 6.

Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum.

Oscula

Ouid.

*Oscula da flenti, veneris da gaudia flenti,
Venimus huc ambo, cur non discedimus ambo.*

Cic. Philip. 2.

*Doletis tres exercitus populi Romani esse inter-
fectos, Interfecit Antonius: desideratis cla-
rissimos ciues, eos quoque eripuit Antonius:
Auctoritas huius ordinis afflictata est, Af-
flicxit Antonius*

Ad Herenn.

*Ex quo tempore concordia de ciuitate sublata,
libertas sublata est, amicitia sublata est.*

Catull.

*Diana sumus in fide,
Puella pueri integri.
Dianam pueri integri,
Puellaque canamus.*

Mart.

*Mane salutatum venio, tu diceris isse,
Ante salutatum, iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus: tumidique ante ambulo
regis,*

Tu comes alterius: Iam sumus ergo pares.

Hic hemistichion: in sequentibus integer
versus repetitur, *nonies.* apud Virgil.

Eclog. 8.

*Ducite ab vrbe domum mea carmina ducite
Daphnim.*

Aliquoties alij Elegi.!

Ouid. i. amor. 6.

*Redde vicem meritis grato licet esse quod optas,
Tempora noctis eunt ecute poste seram.*

Deian. Herc.

*Heu mihi quid feci qui me furor egit amantem,
Impia quid dubitas Deianira mori?*

C A P V T XXI.

De Symploce.

SYMPLOCE est cum idem sonus in principiis & clausulis simul repetitur.

Anaphora repetit principia: Epistrophe fines, cum vtraq; concurrit, aliud schema oritur, quod *συμπλοκή* à *συν* & *πλέω* simul implico quod vtrumq; repetitionis schema implicet, dicitur. vnde latinis complexio.

Exempla.

Ouid.

*Qui canit arte canat, qui bibit arte bibat.
Vngue notata comas, vngue notata genas.
Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis.*

Cic. Agrar. i.

Spem improbis ostendistis, timorem bonis iniectistis, fidem de foro, dignitatem de repub. sustulistis.

Quis

Agrar. 2.

Quis legem tulit? Nullus: quis maiorem populi partem suffragiis priuauit? Nullus: quis comitiis praefuit? Nullus.

In Cœliana.

Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effusior? Illa vero in illo homine admirabilia fuere.

Ad Herenn.

Qui sunt qui foedera saepe ruperunt? Carthaginenses? qui sunt qui bellum crudelissime gesserunt? Carthaginenses.

2. Corinth. 9.

Qui seminat parce, parce metet: qui seminat copiose, copiose metet.

Daniel. 3.

Benedicite Angeli domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite cœli domino, laudate & superexaltate eum in secula.

C A P V T XXII.

De Epanalepsi.

EPANALEPSIS est cum idem sonus in principio & clausula repetitur.

K 4

Figura soni similis in repetitione disiuncta eodem loco, ut Anaphora & Epistrophe, & utriusque continuatis symploce absoluta est, sequuntur duæ repetendæ locis diuersis, Epanalepsis & Epanodos.

Dicitur ἐπανάληψις ab ἐπι ἀνά & λαμβάνω latinis idem quod resumptio.

Genus omissum est, quippe quod ex generalibus antecedentibus notum.

Forma consistit in repetitione principij & clausulæ.

Vnde differentia, qua à symploce distinguitur palam est: Hæc in principij & finis iteratione: illa in principiorum & clausularum repetitione.

Aliena exempla huc referuntur.

Aeneid. 2.

Arma viri ferte arma, vocat lux ultima vi-
ctos.

Nate, exclamat, fuge nate.

Aeneid. 6.

Cessas in vota precesq;
Tros ait Aenea, cessas.

Exempla genuina.

Terent.

Quanto tuus est animus grandior, ignoscentior tanto.

Saluti

Cic. Verr. 4.

Saluti enim eorum potius consulam, quam voluntati.

Philip. 1.

Illam erat vita illa secunda fortuna, libertate esse parem, cum ceteris principem dignitate.

Hic syllaba: in sequentibus dictio resumitur.

Eclog. 4.

*Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet.*

Eclog. 7.

Ambos florentes atque atibus, Arcades ambo.

Eclog. 9.

Tityre dum redeo (brevis est via) pasce capellas,

Et potum pastas age Tityre.

Eclog. 10.

Et quis erit modus inquit amor non talia curat,

Nec lachrymas crudelis amor.

Georg. 1.

Nudus ara, serenus nudus, hyems ignava colono.

Aeneid. 1.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Aeneid. 9.

Utrò animos tollit dictis atque increpat utrò.

Victus amore tui, cognato sanguine victus.

Sacra Deosque dabo, sacer arma Latinus habeto,

Imperium solenne socer.

Horat. 1. Epist. 1.

Æque pauperibus prodest, locupletibus æque.
3. od. 16.

Multa petentibus

Desunt multa, bene est cui Deus abstulit,
Parca quod satis est manu.

Ouid. 2. artis.

Pauper amet caute, timeat maledicere pauper.

Catull.

Venistine domum ad tuos penates,
Fratresq; unanimes tuamq; matrem
Venisti?

Cœnabis bene mi Fabulle apud me,
Paucis si tibi Dii fauent diebus:

Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, non sine candida puella.
Et vino & sale & omnibus cachinnis,
Cœnabis bene.

Cic.

Vidimus tuam victoriam, gladium vagina
vacuum non vidimus.

Multi & graues dolores inuenti, parentibus
& propinquis multi.

Ouid. 1. Rem.

Consilium est quodcumq; cano, parete canenti,
Vt faueas cœptis, phæbe saluber ades.
Phœbus adest sonuere lyra, sonuere pharetra,
Signa DEVM nosco per sua phæbus adest.

3. Amor. 2.

Sed iam pompa venit, linguis animisque fa-
uete,

Tempus

Tempus adest plausus, aurea pompa venit.

Oenon. Parid.

*Graia iuuenca venit, quæ te patriamque do-
mumque*

Perdet: ꝑo prohibe, Graia iuuenca venit.

In his hemistichion, in sequentibus integer
versus repetitur.

Catull.

Quid est Catulle quod moraris emori,

Sella in curuli Struma Nonius sedet,

Per consulatum peierat Vatinius,

Quid est Catulle quod moraris emori?

Fulsere quondam candidi tibi soles.

Psal. 120.

*Dominus custodit te ab omni malo, custodias
animam tuam dominus.*

Et huc pertinet Psalmus octauus, in quo pri-
mus versus in fine repetitur.

CAPVT XXIII.

De Epanodo.

EPANODOS est quæ sonus in principio &
medio, vel medio & sine iteratur.

Altera figura quæ sonum in diuersis locis: &
ultima quæ similem repetit, est Epanodos,
dicta ab ὅμι αἰὰ & ὀδὸς regressio.

Guius forma in repetitione medij alterutri-
usque extremi vel principij, vel finis consistit.

Vnde duplex æstimari queat, prior repetens
principium & medium, posterior medium &
finem. Vtraque interdum concurrat.

Falsa exempla ei assignata sunt.

Eclog. 10.

Ite domum saturæ, venit hesperus, ite capella.

Aeneid. 9.

Vos ite soluta,

Ite Dea pelagi.

Ille meos primus qui me sibi iunxit amores

Abstulit: ille habeat secum seruetq; sepulchro.

Exempla.

Georg. 2.

*Primus humum fodito, primus deuecta cre-
mato*

Sarmenta, & vallos primus sub tecta referto.

Aeneid. 5.

Proximus huic, longo sed proximus intervallo.

Aeneid. 11.

Deserit & muros & summas deserit arces.

Ouid. 3. art.

Pulla decet nineas, Briseida pulla decebat,

Cum rapta est pulla tum quoque veste fuit.

In his principium & medium: in sequenti-
bus medium & finis iteratur.

Libertas

Eclog. 1.

*Libertas qua sera tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat,
Respexit tamen.*

Eclog 8.

*Has herbas atque hac Ponto mihi lecta ve-
nena.*

Ipsè dedit Meris, nascuntur plurima ponto.

Aeneid. 2.

Crudelis ubique

Luctus ubique pavor & plurima mortis imago.

Aeneid. 7.

Regalesque accensa comas accensa coronam.

Aeneid. 12.

*Qui te cunque manent isto certamine casu,
Et me Turne manent.*

Hor. 1. od. 7.

*Nil desperandum Teucro duce, & auspice Ten-
cro.*

Catull.

Mœcha putida redde codicillos.

Redde putida Mœcha codicillos.

Eclog. 8.

Crudelis tu quoque mater

*Crudelis mater magis, an puer improbus
ille,*

*Improbus ille puer, crudelis tu quoque ma-
ter.*

Cic.

*Gratiã qui refert, habet, & in eo qui habet, re-
fert.*

Quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi: quod quia turpis existimatio sequitur, ideo rem indignam non vindicari.

Fabius 9. c. 3.

Vestrum iam hic factum deprehenditur non meum, & pulcherrimum quidem factum, verum ut dixi non meum, sed vestrum.

Aut. ad Herenn.

Nunc etiam audes in horum conspectum venire proditor patrie, proditor inquam patrie venire audes in harum conspectum.

Esaia 29. in princ.

Ue Ariel Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid. Additus est annus ad annum, solennitates euolutae sunt, & circumuallabo Ariel, & erit tristis & marens & erit mihi q. Ariel.

C A P V T XXIIII.

De Paronomasia.

PARONOMASIA est cum dictio litera aut syllaba al. cuius commutatione, significatione quoque commutatur.

Figura repetitionis distincta fuit supra ex sono simili & dissimili: illa haecenus absoluta: haec altera succedit, quæ cum sit ex nomine & forma similis repetitionis satis nota, non definitur.

Est

Est vero quando sonus leuiter dissimilis dictionum repetitur. Si enim plane similis & idē, ad superiores figuras, si plane dissimilis ad nullam pertineret. Quandoquidem nulla consonantia fieret.

Opus ergo est vt partim similitudo, partim dissimilitudo soni dictionibus insit, vel quod idem leuis dissimilitudo, ex qua & similitudinē inesse arguitur, vt Arator & non orator, par pari referre, quæ voces similitudine soni conueniunt, syllaba excepta vnâ, quæ dissimilitudinem parit.

Dicitur alias hoc figuræ genus posterius, repetitio soni similis, cum dictiones diuersæ sibi fonitu correspondent: superius repetitio soni eiusdem in dictione eadem repetita.

Verum quia sonum non solummodo in dictionibus, sed & syllabis consideramus, definitio & distinctio figuræ hæc vix subsistet.

Quandoquidem Repetitionis soni similis (vt vocatur) definitio cōuenit cum repetitione soni eiusdē. Verbi gratia. Ego te complures aduersum ingenium meum menses tuli, pollicitantem & nihil ferentem & flentem: Nunc cōtra omnia reperi, qui det neque lachrymet &c. Et illud Ciceronis. Est enim non scripta, sed nata lex, quam nō didicimus, accepimus, legimus. Vbi diuersæ dictiones simili tamen sono sibi respondententes, nisi quis *ἀκριβῶς* sonum eundem & parem à simili distinguere velit.

Nobis hoc posterius figuræ genus rectius

soni dissimilis appellari videtur, in quo dictiones diuersæ & dissimiles syllabis, literis & casibus, siue in medio, fine, siue principio, tam verba, aduerbia, quam nomina reperiuntur. Species duæ tantum paronomasia & polyptoton.

Dicitur *παρονομασία* à *πρὸς* ad, *ὄνομα* nomen, latine adnominatio quasi ad idem nomen allusio, & definitur genere omisso, subiecto & forma.

Genere, est figura repetitionis soni dissimilis in dictionibus, vt bene apteque inter se consonent, à communi loquendi vsu deflexa.

Subiectas habet dictiones significatione, & sono aliquarum literarū vel syllabarum differentes, vt ductor, doctor, significatione & media syllaba distinguuntur.

Forma cōsistit in repetitione earum vocum, vt qui doctorem, ductorem habet.

Variæ dictiones ad hoc Schema accommodari possunt, quæ vel diuersum principium & originem habent, sono aliquantulum dissidentes, vt ara, hara: haris, aguis: ars, mars: aula, caula: Astra, rostra: amor, clamor: curia, cura: Fama, fames: fatum, Vatum: fabulæ, epulæ: leones, lenones: modus, nodus: nanus vanus: on⁹ honos: preces, pretiū: Satyra, Saturia: vates, vades: vitta, vita: tabulæ, fabulæ: metus, motus: comis, communis: carus, rarus: egregium, regium: vagans, vacans: veneo, venio: lætius, latius: plenè, planè:

Deinde quæ habent idem ferè principium, sed

sed syllaba aliqua differunt, vt deriuata & composita; pater, patria: auus atauus: ignoscere, cognoscere: prodesse, obesse: orator, exorator: dignus, indignus:

Denique quæ ferè eundem sonum, quantitate tãtum discrepantem, vt malum pro fructu, prima longa, malum pro infortunio, breui eadem, malus instrumentum nauticum substantiue, prima longa, malus adiectiue prima breui. Hic aduerbium, & hic pronomen: lepôres pro facetiis, lepores pro animalibus. opere, operæ, maris, moris: vltima longa & breui.

Vulgò definitur Paronomasia cum similitudine literarum deflectimus vocem in contrarium, aut cum aliqua pulchra fit vocum collisio.

Cuius species fecerunt Antanaclasin cum idem verbum nonnihil mutatum aut mutata significatione repetitur. Vt percute, nisi vis percuti: iucundũ est amare, nisi insit amari: prius exemplum quadrat ad figuram sequentem cum dictio casu varietur: posterius est huius loci proprium, cum & sonus & significatio discrepet.

Deinde paradiastolen, cum ita aliquid conceditur, vt vicinum quoddam detrahi possit. Veluti magna fit mutatio loci, non ingenij. Quæ species nil ornatus habere videtur, sed ad logices diuersa referenda. Sin eiusmodi in argumento repetitio quædam dissimilis accedat, figuratum erit, ceu, iustus ruit, nõ corruit, premittur non opprimitur, patitur malum sed malo

liberatur, hoc ad polyptoton, illud ad paronomasiam accommodatur.

Præterea Echo exercitationis genus huius figuræ cum præcedentis dictionis finis in dictione sequenti integra iteratur, huc refertur, ut frugiferæ, feræ: fortuna, vna: insolubilis, bilis. Sacerdotium otium: eligat ligat, cuius exemplum in colloquiis Erasmi & poematis Sabini habemus &c.

Si tamen eadem dictio repetitur non huius erit loci.

Denique oxymorum, dictū acutum, quod prima fronte stultum & sibi ipsi repugnare videatur: ut quærit aquas in aquis, concordia discors, inopē me copia fecit, insepultam sepulturam, cum milite isto præsens absens sis. Primum ex his exemplū ad polyptoton, cætera huc pertinent in quibus & significatio & son⁹ repugnat.

Quæ species omnes non forma à paronomasia, sed vlu tantum & modo tractandi aliquantulum variant,

Exempla.

Eclog. 1.

Sic canibus catulos similes.

Georg. 2.

Aniatum resonant anibus virgulta canoris.

Aeneid. 3.

Explorat ventos atq; auribus aera captat.

Aeneid. 4.

Quid struis aut qua spe libycis teris otia terris.

Discolor

Aeneid. 7.

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Horat. 3. od. 3.

Regum timendorum in proprios greges

Reges in ipsos imperium est Iouis.

2. od. 1.

Qua caret ora cruore nostro.

Ouid. 3. trist.

Vera quidem vidi, sed graviora fide.

Verbera cum verbis mista fuere meis. |

1. art.

Adde & insano iuret amore mori.

Cic.

*Conseruate Reipub. Iudices ciuem bonarum
artium, bonarum partium.*

*Ut apertus fuit in corripiendis pecuniis, sic in
spe corrumpendi Iudicii.*

Terent.

*Neque pudor commoueat neq; commoueat ut
seruem fidem.*

Aeneid. 7.

Turnus auis atavisque potens.

Aeneid. 10.

His atavos & auorum antiqua sonantem.

Aeneid. 9.

Mortali ne manu facta immortale carinae

Fas habeant, certusq; incerta pericula lustret.

Ouid.

Parca sed est parce.

2. Rem.

Non est pro vestris ars mearebus iners:

Terent.

*Quod in opere faciundo opera consumis tua.**Nos ambo opere dabamus maximo, ut fieret,
operam.**Nam & cognoscendi & ignoscendi dabitur
peccati locus.**Tibi erunt parata verba, huic homini verbera,
Melius peius, pro fit obsit nihil vident.**Bonorum extortor, legum contortor.**Te indignas, seque dignas contumelias nunquã
cessabit dicere hodie.*

Cicero.

Non modo vincere, sed etiam vincere oportet.

Matth. 16.

*Tu Petre es Petrus, & super hanc Petram edi-
ficabo Ecclesiam meam.*

CAPVT XXV.

De Polyptoto.

POLYPTOTON est cum voces eiusdem o-
riginis variis casibus inter se consonant.

Dicitur Polyptoton ἀπό τῆς πολυῦ & πῶω unde
πῶσις casus, qui varios dictionum casus repe-
tat.

Genus omissum est, quod est, figura dictio-
nis in repetitione soni dissimilis.

Forma est consonantia vocum vnius eius-
demq;

demque originis per deflexionem casuum facta, cum nempe dictiones ab vno themate deriuatæ inter se consonantiæ gratia repetuntur.

Subiectum ergo sunt voces vnius thematis casibus variatæ, vt pater, patris, patrum.

Casus autem intelligendi sunt non solum nominum, vt à grammaticis speciatim accipiuntur: sed cuiusuis dictionis à primo themate siue numero, persona, genere, gradu, modo, tempore &c. deflectiones & declinationes.

Ad discernendum paronomasiam sunt tria in polyptoto obseruanda. Primum nomina eiusdem originis, secundo eiusdem significationes: tertio varietas casuum, in tantum vt & idem sonus in casibus mutatis maneat, quantitate sola differens. veluti:

Quid.

Vt melior causa, causa sit ista tua.

Quod si trium vnum in exemplo deficiat, alio referendum est, vt:

Parce pater patrie,

Inde alios inuenit cursus, aliosq; recursus

Sine nostra cura maxime sua cura hæc sola fert.

Peculiaris figuræ species Antimetabole, quæ vulgò facta, quia forma eadem, ad polyptoton referri debet. vt,

Cic.

*Prædonum bellum quis unquam arbitraretur
aut ab omnibus imperatoribus vno anno:*

aut omnibus annis vno ab imperatore confici posse?

Item.

Edere oportet ut viuas, non viuere ut edas.

Deinde *πλοκή* copulatio partim ad polyptoton accommodari debet, cum posterius verbū idem repetitum est, velut descriptio prioris, vt iudicium simile iudicii.

Marr.

Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Quid.

*Medea Medea forem, quod si quis ab alto,
Iustus abest precibus Iuppiter ipse meis.*

Sin verbum posterius non variabitur casu, ad aliam figuræ speciem quadrat.

Cic.

Verres è vestigio tanquam aliquo circeo poculo factus est Verres.

Hic enim quia dictio in principio & fine iteratur, epanalepsis.

Consulem animo consulem esse oportet consilio, fide, gravitate.

Rom. 9.

Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel.

Hic epistrophe, illic Epanodos.

Quod autem hisce exemplis alterū verbum repetitum assumat significationem aliam, non ex figura, sed tropo euenit, vt verres dicitur verres metaphorice, corpus nullum in corpore dicitur

citur metonymice, quasi dictum fuerit in corpore nulla forma corporis humani restabat, idem iudicium sit de aliis.

Animaduertimus ergo huiusmodi exemplis & figuram & tropum simul commisceri, quæ usu obseruanda & imitanda, non vero eorum peculiaria præcepta excogitanda. Præceptum est idem: usus varius.

Eclog. 3.

*A Ioue principium Muse, Iouis omnia plena.
Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud
me
Munera.*

Eclog. 5.

*Ipsi latitia voces ad sydera iactant,
Intonsi montes, ipsa iam carmina rupes
Ipsa sonant arbusta Deus Deus ille, Menal-
ca.*

Eclog. 10.

*Omnia vincit amor & nos cedamus amori.
Quod simpliciter enunciatur.*

Omnia vincit amor & nos cedamus eidem.

Aeneid. 2.

*Quores cunque cadent, unum & commune
periculum,
Vna salus ambobus erit.*

Aeneid. 4.

Impediunt alter nos orbibus orbis.

Partes petere agmen easdem

Partibus ex iisdem.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas,

Imprecor, arma armis.

Aeneid. 10.

Hæret pede pes, densusque viro vir.

Aeneid. 12.

*Insequitur trepidique pedem pede feruidus vr-
get.*

Eclog. 5.

Formosi pecoris custos, formosior ipse.

Aeneid. 12.

O Fama ingens ingentior armis.

Eclog. 3.

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Eclog. 4.

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Ouid. 2. remed.

*Nā quoniā variant animi, variabimus artes,
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.*

2. art.

Cedere repugnantī, cedendo victor abibis,

Fac modo quas partes illa inbebit agas.

Arguit arguito, quidquid probat illa, probato

Quod dicat, dicas, quod negat illa, neges.

Riserit arride; si flerit flere memento,

Imponat leges vultibus illa tuis.

Horat. 1. Epist. 7.

Paruum parua decent.

Epist. 8.

Rome Tibur amem, ventosus Tibure Romam.

Sic

2. Eped. 2.

*Sic quia perpetuus nulli datur usus & heres,
Heredem ulterius velut unda superuenit un-
dam.*

Terent.

*Nos quoque senes est aequum senibus obsequi.
Istuc serua & verbum verbo, par pari ut re-
spondeas.*

Cic. pro Arch.

*Pleni omnes sunt libri, plena sapientum voces,
plena exemplorum vetustas.*

Pro Caelio.

*Ipsius autem veneni quae ratio fingitur, ubi qua-
situm est, quemadmodum paratum, quo pa-
cto, cui, quo in loco traditum.*

Ad Rom. 8.

*Gentes quae legem non habent natura, quae legis
sunt, fecerunt, ea legem non habentes, sibi in-
ipsis sunt lex.*

C A P V T XXVI.

De figura Dianoëtica.

DIANOETICA est figura quae totam sen-
tentiam aliquo animi motu afficit.

Est in } Logismo

Est in } Dialogismo.

In logismo sententia sine collocutione fi-
guratur.

Species eius quatuor, Exclamatio, Reuocatio, Apostrophe, & Prosopopœia.

Figura lectica in dimensione & repetitione sonorum constitit: altera in sententiis figurandis dianoetica dicta.

Cuius definitio ex genere, subiecto & forma conflatur.

Genus est figura quæ suam essentiam singulis dianoeticis ornamentis communicat, dum simplicem orationem figurant, eiusque modum & habitum à recta loquendi consuetudine mutant. Cum enim quis dicendo exclamat, optat, obiurgat, deprecatur: cum aliquid reticere se dicit: cum sermonem ad alios quam instituit conuertit: personas loquentes introducit: cum addubitatur, quid potius faciat aut quomodo dicat, & animos auditorum dubitando moratur; cum sæpe cum iis, qui audiunt, deliberat: ante occupat, quod opponi videtur, seque ante præmunit: interrogando urget & rursus ad interrogata respondet, quædam permittendo vel concedendo, tum is teste Cicerone in orat. à communi & simplici dicendi via consultò discedit.

Subiectum huius schematis est sententia non solum quæ γνώμη dicitur, sed quæcunque orationis membrum & partem argumentis quibuslibet absoluit, cuiuscunque rei gratia enunciata.

Tropi subiectum erat vnicum verbum: lecticae figurae dictiones dimensa vel repetita: at
Dianoc-

Dianoeticæ integra animi conceptio & enunciatio splendido habitu illustrata.

Forma est sententias istas animi motibus afficere, id est illas vel simplices vel iam dudum habitu troporum & figurarum indutas, variis animi affectibus exornare, qui vel lætitiā vel tristitiā, vel spem, timorem, vel indignationem, lenitatem commiserationem &c. innuunt.

Priores figuræ vna cum tropis orationi: colorem & sanguinem suppeditant: hæ posteriores nervos thorosque vitam motumque tribuunt, & quasi corpori animam infundunt.

Ideoque plures æstimandæ, maiusque artificium & studium in iis collocandum.

Quanquam autem affectus logicis etiam argumentis, vel gestu & voce moueantur: discrimen tamen inter affectus ornatos, qui à figuris finguntur, à quibus ex pronuntiatione profecti, & affectus simplices distinguuntur, ex vi argumentorum ortos haud difficulter animaduertitur.

Species dianoeticæ duæ constituuntur in logismo vel dialogismo, quo sententia vel colloquutione vel absque illa figuratur.

Extra colloquium illustramus sententiā vel exclamādo vel reuocando & corrigendo, vel ad alias personas cōuertēdo, vel alienis attribuēdo.

Logismi species sunt quatuor, vel duo generabis binas species comprehendentia.

Per colloquium sententiā figuratur cum no-

biscum deliberamus vel cum aliis, vel sententiã præoccupamus, atque deinde ornatas responsiones subiicimus.

Dianoëticae sunt numero. 10. ad benedicendum & necessariae & sufficientes. 1. Exclamatio. 2. Correctio. 3. Reticentia. 4. Apostrophe. 5. Protopopœia. 6. Addubitatio. 7. Communicatio. 8. Occupatio. 9. Concessio. 10. Permissio.

Plures quæ huc referuntur, indignatio, deprecatio, optatio, licentia, transitio, digressio, &c. vel generatim sub iisdem comprehenduntur, vel alienæ ad alias artes remittuntur.

CAPUT XXVII.

De exclamatione.

EXCLAMATIO est figura in logismo cum sententia exclamando attollitur.

Prima species logismi est exclamatio ὀπιφώνησις, cuius forma est sententiam exclamare vel in primis per aduerbium exclamandi expressum, vel ex sententiæ conditione intellectum.

Aduerbia (alij interiectiones vocant) exclamationi expressæ inseruientia, sunt, ô, utinam, o si, heu, Ah, proh, en, ecce, ohe, au, hui, & similia quibus additis hoc schema numero cognoscitur. Iis vero omissis ex sententiis rerum affectibus atque exclamatione dignarum investigandum.

Defini-

Definitur alias quod sit quæ conficit significationem doloris, aut indignationis per alicuius personæ, vrbis aut loci, vel rei cuiuspiam compellationem.

Verum quia in exclamatione non tantum doloris & indignationis significationes, sed frequentissime admirationis, optationis, desperationis, obtestationis &c. fieri solent.

Quocirca definitio minus videtur continere. Significatione autem doloris omiſſa, necessaria definitio quosuis generatim affectus complectitur.

Deinde exclamationem instituire per hominis aut vrbis aliusue rei compellationem Apostrophes vel profopopœiæ non exclamationis erit, quæ nude & generaliter siue à nostra persona siue aliena fiat, consideratur.

Nec impedit quod in exclamatione aliæ interdum figuræ concurrant, quæ vsu coniunctæ, formis propriis disiunctæ, quibus & proprie definiendæ, & singulæ in concursu ex suis formis diiudicandæ, & distinguendæ.

Virtus huius figuræ est potissima ad humanos affectus mouendum, vnde orator obtinet id quod obtinendum sibi proposuit.

Vsus eius in inuocatione non rarus est, qua poetæ in principiis poematum vti solent, musas aliosue Deos inuocantes innuentes, poema vel tale quiddam esse quod sine diuino afflatu absolui nequeat: vel ita vitari arrogantiam. Itaque vel inuocant & deinde proponunt vel contra: aut

propositioni immiscent inuocationem, quam tamen non Rethorica, sed logica parit: partem verò illa illuminat exclamatione, sæpe tamen absque hoc schemate videtur fieri. vt:

Aeneid. 1.

Musa mihi causas memora,

Eclog. 6.

Pergite pierides.

Species exclamationis nullæ dantur, quæ forma perpetuo eadem est, nisi quod sententiis subiectis, quæ modis adiunctis variantur, distinguipossit, vt sit vel in sententia admirationis, obtestationis, qui affectus reliquis dianoeticis sunt communes.

Solet huc referri epiphonema, sententia exclamans, quæ ad finem rei explicatæ & narratæ additur eiusdem argumentum aliquod exclamatione illustratum continens. vt:

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Licentia deinde παρρησία à πᾶν & ῥέω huc refertur, cum apud eos, quos aut vereri aut metuere debemus, aliquid pro iure nostro dicimus, quod eos minime offendat.

Quæ quidem licentia non per se, sed propter adiunctam exclamationem huc respicit, si quidem audacia eiusmodi non absq; singulari potest fieri motu.

Denique noëma ad hanc figuram detorque-
tur, sententia alicui persona annexa ad locum
communem alludens, quod equidem nisi admi-
stam

Itam habeat exclamationem nullo titulo huc referetur, sed ad testimonium logicum vel aliud argumentum remittetur. vt:

Virg.

*Dux fœmina facti,
Varium & mutabile semper fœmina.*

Exempla.

Eclog. 1. Admirationis & indignationis.

*Barbarus has segetes. En quo discordia ciues,
Perduxit miseros, en queis conseruimus agros?*

Eclog. 6. Commiserationis.

Ah virgo infœlix tu nunc in montibus erras.

Optationis.

*O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere cer-
nos.*

Georg. 1. Desperationis.

Heu male tum mites defendat Pampinus vnas.

Aeneid. 2. Imprecationis.

*Ah tibi pro scelere
Dii persoluant grates dignas.*

5. Trist. 9.

*Exigit ad pœnas vltrix Rhamnusia dignas,
Imposito calcas quod mea fata pede.*

Aeneid. 2.

*Heu mihi qualis erat quantum mutatus ab
illo.*

Aeneid. 4.

Proh Iuppiter ibit.

Aeneid. 6.

*Venisti tandem, tuaque expectate parenti
Vicit iter durum pietas, datur ora tueri
Nate tua, & notas audire & reddere voces.*

Hic aduerbium subintelligitur.

*Ille autem paribus quas fulgere cernis in armis
Concordes animæ nunc & dum nocte premun-
tur,*

*Heu quoniam inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies stragemq; ciebunt.*

Aeneid. 9.

Hostis adest: Eia ingenti clamore per omnes.

Aeneid. 9. Inuocationis.

*Adsis o placidusq; iuues & sidera cælo
Dextra feras.*

Aeneid. 6.

*Estē duces, o si qua via est cursumque per au-
ras*

*Dirigite in lucos, ubi pinguem diæes opacat
Ramus humum: tuque o dubiis ne defice re-
bus,*

Diuæ parens.

Aeneid. 2. Obtestationis.

*Vos æterni ignes & non violabile vestrū
Testor numen ait, vos aræ, ensesque nefandi.*

Epiphonemata sunt.

Eclog. 10.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Georg. 2.

Tantus amor terræ.

Tantus

Georg. 3.

Tantus amor laudum.

Georg. 4.

Tantus amor florum.

Aeneid. 2.

Heu nihil inuitis fas quinquā fidere Diuis.

Aeneid. 3.

*Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames.*

Aeneid. 4.

*Improbe amor quid non mortalia pectora co-
gis.*

Aeneid. II.

*Nescia mens hominum fati, sortisque futura,
Et seruare modum, rebus sublata secundis.*

Hor. 2. od. 24.

*Magnum pauperies opprobrium iubet,
Quiduis & facere & pati,
Virtutisq; viam deserit ardua.*

Gatull.

*Alphene immemor atque unanims false soda-
libus
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi,
Iam me perdere, iam non dubitas fallere per-
fide,
Nec facta impia fallacum hominum coelicolis
placent,
Qua tu negligis, & me miserum deseris in malis.*

M

*Heu, heu quid faciant, dic, homines, cuique
habeant fidem.*

Ouid. 5. trist. 11.

*O duram Lachésin, quæ tam graue sidus ha-
benti*

Fila dedit vitæ non breuiora meæ.

Poeta questus de loco exilii eiusque incom-
modis, tandem narratiunculam epiphonemate
concludit. Quam plurima exempla cuiq; nota
apud comicos & oratores reperiuntur.

Cic. pro Ligario.

Vide quam non reformidem.

Vbi licentia inest.

Psal. 68.

*Obseruentur oculi eorum ne videant, & dor-
sum eorum semper incurua, effunde super
eos iram & furor iræ tuæ comprehendat eos,
fiat habitatio eorum deserta.*

C A P V T XXVIII.

De Epanorthosi.

REVOCATIO est figura in logismo quan-
do quippiam reuocatur.

Species eius sunt { Epanorthosis.
Aposiopæsis.

Epanor-

Epanorthosis est reuocatio cum antecedens aliquod reuocatur.

Quid exclamatio, tenemus: declaranda sequitur altera logismi species Reuocatio, quæ quod ante dictum & quasi concessum reuocat: & duas suis formis distinctas species continet Epanorthosin & Apophiosin.

Vsus eius est in vehemēti exclamatione, veluti commiserationis, indignationis, desperationis, imprecationis &c. sit potissimum loco refrigerationis: vt si quis tristem exclamat sententiam, & deinceps loco cōsolationis eandem corrigit, vnde auditoris animus reficiatur, & ad lætitiā redigatur.

ἐπανόρθωσις ab ἐπανορθόω corrigo, latine correctio alias definitur, quæ tollit id quod dictum est, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit.

Nostra breuior & rotundior videtur definitio, cum nempe antecedens reuocatur, per quod non modo verbum vnicum quod antecedit, cuiusque loco aliud electius & insignius reponatur, sed integram sententiam, quam ante suis argumentis absolutam post reiiicimus, corrigimus, aliamq; subiicimus, intelligamus.

Notæ huius schematis vsu reperiuntur conjunctiones plerumque, sed, at, ast, verum, imo, quin potius, si modo, verius dicam, interdum absque notis fieri solet. Aliena exempla huc referuntur, quæ simplicia.

Verr. 3.

*Non furem sed raptorem,
Non adulterum, sed expugnatorem
Pudicitie.*

Cic. pro Arch.

*Qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed
vidisse.*

Exempla.

Eclog. 2. Reuocatio sui ipsius.

*Rusticus es Corydon nec munera curat Ale-
xis.*

Georg. 3.

*Sed fugit interea, fuit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumuectantur amore.*

Georg. 4.

*Verum hac ipse equidem, spatiis exclusus ini-
quis,
Prætereo atque aliis post me memoranda relin-
quo.*

Aeneid. 3.

*Quatuor hic (primum omen) equos in grami-
ne vidi,
Tondentes campum late candore niuali:
Et pater Anchises, bellum ò terra hospita por-
tas,
Bello armantur equi, bellum hac armenta mi-
nantur.*

Sed

Sed tamen idem olim curru succedere sueti,
Quadrupedes & frena iugo concordia ferre
Spes est pacis ait.

Hor. 3. od. 3.

Non haec iocosa conueniunt lyrae,
Quo Musa tendis? desine pertinax,
Referre sermones Deorum &
Magna modis tenuare paruis.

4. od. 3.

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prateruentium
Romanae fidicen lyrae,
Quod spiro & placeo (si placeo) tuum est.

Ouid. 5. trist.

Quod patriae vultu, vestroque caremus amici,
Atque haec in scythicis gentibus esse queror.
Vtraque poena grauis, merui tamen urbe ca-
rere,

Non merui tali forsitan esse loco.

Quid loquor ah demens ipsam quoque perdere
vitam,

Cesaris offenso numine dignus eram.

Phil. Demoph.

Et mihi discedens suprema dicere voce,

Phillifac expectes Demophoonta tuum.

Expectem qui me nunquam visurus abisti?

Expectem pelago vela negata meo?

Et tamen expecto, redeas modo serus amanti,

Ut tua sit solo tempore lapsa fides

*Quid precor infelix iam te tenet altera coniux,
Forsitan & nobis qui male favit amor.*

Cytip. Acon.

*His tamen aduerso redierunt Carbasæ vento,
Mentior ab demens ille secundus erat,
Ille secundus erat, qui me referebat euntem,
Quiq; parum foelix impediēbat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset,*

Sed stultum est venti de leuitate queri.

Catull. ad Hendec.

*Conclamate istorum altiore voce
Mœcha pudida redde codicillos.
Sed nil proficimus nihil mouetur,
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis
Pudica & proba redde codicillos.*

Terent.

*Id quoque possum ferre, si modo reddat, quan-
quam iniurium est,
Verum cogita id quod res est, quando eum que-
stum acceperis,
Accipiēda & mussitanda iniuria adolescen-
tum est.
Sed nemo dabit frustra, ego met mecum has ra-
tiones deputo.*

Cic. pro Milone.

*Quas ille leges si modo leges nominanda sunt, ac
non potius faces orbis, & pestes Reipub.*

Sed

Sed finis sit, neque enim præ lacrymis loqui possum: & hic se lacrymis defendi vetat.

CAPVT XXIX.

De Apofiopefi.

APOSIOPESIS est reuocatio quando sententia inchoata cursus ita reuocatur, ut inde pars eius aliqua non dicta intelligatur.

Epanorthosis talis est, Apofiopefis consideranda venit.

Quæ dicitur ab ἀποσιωπία nostris reticentia, aliis præcisio, cum dictum quibusdam reliquum quod cœptum est dici, relinquatur audientium iudicio.

Cuius tamen definitio ellipsi grammaticæ congruere videtur, cum vox quædam non dicta ex sententia intelligitur, ut,

Terent.

Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo mori.

At nostra proprie explicat quædo cursus sententiæ inchoatæ ita reuocatur & præscinditur ut argumentum aliquod sententiam integre absoluturum ex ista reuocatione ab auditore colligatur.

Differunt Epanorthosis & Apofiopefis, hæc sententiæ mutilā & imperfectā priusquā plene expresserit, illa integrā, argumentis & intellectu sententiam absolutam, reuocat.



Heterogena referuntur huc exempla,

Genes. 4.

Vbi Lamech dicit vxoribus: Ego virum occidi, ergo Cainum occiderat.

Item Luc. 1. Vbi Angelus ait.

Preces tue sunt exaudite, ergo antea precatus fuerat.

Quæ in figuris plane aliena, si quidem ne tantillum habitus dicendi à more communi discedit, quando nec vsu eadē exempla ita figurata reperiuntur, sed iisdem pro arbitrio logici aliud argumentum ex alio deducitur. Idcirco si artis sunt, ad logicam pertinent.

Vera exempla.

Vsus huius schematis frequentior in poetis quam oratoribus.

Aeneid. 1.

Eurum ad se Zephyrumque vocat dehinc talia fatur,

Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?

Iam cœlum terramque meo sine numino venti

Miscere, & tantas audetis tollere moles?

Quos ego: sed motos prestat componere fluctus.

Post mihi non simili poena commissa luetis.

Id est, quos ego iam sat vehementer plectam.

Aeneid. 2.

Nec requieuit enim donec Calchante ministro,
Sed

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. 185

*Sed quid ego haec autem nec quicquam ingrata
reueluo.*

Med. Ias.

*Quod uiuis, quod habes nuptam socerumq₃ po-
tentem,*

*Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum
est.*

*Quos equidem aditutum: sed quid predicere
pœnas*

Atinet, ingentes parturit ira minas.

Ac. Cy.

*Nos quoque: sed taceo. mors huius pœna rapina
Ut sit, erit, quam te non habuisse minor.*

Terent.

*Mala mens, malus animus: quem quidem ego
si sensero. sed quid opus est verbis?*

Omitto de te dicere, ego te furcifer,

Si uiuo, sed istuc quidquid est primum expedi.

Cic. pro Milone.

*An ille huius legis quam Clodius à se inuen-
tam gloriatus est, mentionem facere ausus es-
set uiuo Milone, ne dicam consule. de no-
strorum enim ciuium: non audeo totum di-
cere.*

C A P V T X X X.

De Apostrophe.

APOSTROPHE est figura in logismo
quando oratio ad aliam personam con-
uertitur, quam institutus sermo requirit.

Reuocatio talis est: tertia species logismi sequitur Apostrophe ab ἀπό & ἀποφῆ latinis auersio, cuius genus ex antecedentibus iudicatur.

Forma est orationis ad alias personas, quàm initio propositæ fuerint, auersio.

Quæ quia sæpenumero cum exclamatione vsu coniungitur cum eadem, tanquam formæ eiusdem particeps, confusa fuit.

Verum quia etiam sine exclamatione potest fieri, merito forma propria definienda & distinguenda est.

Collocatio eius frequentissime in medio & fine orationis domiciliū habet, cuius ex tela facillime deprehenditur: rarissime in proœmio, quando videlicet quis actionem instituat in foro ad iudices, orationem verò primum ad ipsum reum conuertat, vt i. Catil. Deinde adhibetur etiam fere in principiis orationis inuocationem præmittentis, cuius vsus peculiaris & insignis apud poetas, præsertim cum opus longum & prolixum sibi describendum proposuerint, vt Georg. i. 2. Aen. i. Fast. i. & alibi passim.

Apostrophes species, si quæ sunt, subiectis distinguuntur, dum vel ad incertam personam vel certam eamque humanam vel diuinam vel nostram, denique rem mutam, inanimatam atque irrationalem quasi personam veram oratio conuertitur.

Exempla.

Georg. i. incertæ personæ.

Exacu-

Exacuunt alii vallos furcasq³, bicornes,
Atque Amerina parant lento retinacula vite,
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga,
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

Aeneid. 4.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor
Qui face Dardaneos, ferroque sequare colo-
nos.

Eclog. 1. ad semetipsum.

Inserere Melibœe pyros, pone ordine vites.

Aeneid. 4.

Quin morere ut merita es ferroque auerte do-
lorem.

3. Trist. 8

Nunc ego iactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas Perseu, Dædale sive tuas.
Ut tenera nostris cedente volatibus aura
Aspicerem patriæ dulce repente solum.
Desertasque domus, vultus, memoresque so-
dales,

Caraque præcipua coniugis ora mee.
Sulte quid hæc frustra votis puerilibus optas,
Quæ non vlla tibi fertq³, feretq³ dies?

Deian. Hercul.

Heu mihi quid feci quo me furor egit aman-
tem,

Impia quid dubitas Deianira mori?

Eclog. 8. rei inanimatæ.

Incipe Mœnaleos mecum mea tibia versus.

Georg. 1.

*Vere fabis satio, tunc te quoque medica pu-
tres
Accipiunt sulci.*

Aeneid. 4.

*Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad
umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profun-
dam,
Antepudor quam te violam, aut tua iura resol-
nam.*

Aeneid. 12. 1

*Tunc vero amens formidine Turnus,
Faune precor miserere inquit tuque optima
ferrum
Terra tene.
Nunc nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest, te maximus
Aktor,
Te Turni nunc dextragerit, da sternere cor-
pus.*

Ouid. 2. art.

*Este procul lites & amara praelia lingue,
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.*

1. Amor. 7.

*Quid mihi vobiscum cedis scelerumque mini-
stra,*

Debita

Debita sacrilega vincla subite manus,

Aeneid. 3. ad homines.

*Heu genitorem omnis cura casusque lenamen,
Amitto Anchisen: hic me pater optime fessum
Deseris, heu tantis ne quicquam erepte peri-
clis.*

Aeneid. 2.

*Te quoque Laurentes viderunt Aeole campi
Oppetere, & late terram consternere tergo.
Occidis, Argina quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor V-
lysses.*

1. Trist. 2.

*Dum loquor & cupio pariter timeoque re-
pelli,*

*Increpuit quantis viribus unda latus.
Parcite cerulei vos saltem numina Ponti,
Infestumque mihi sit satis esse Iovem.*

Catull.

At tu Catulle destinatus obdura.

Terent.

*Heu mihi quid faciam, quid agam, quid cla-
men, quid querar?*

O caelum, o terra, o maria Neptuni.

Cic. pro Milone.

*Vos enim Albani tumuli atq; luci, vos inquam
imploro atq; obtestor.*

Hose. 13.

*Ubi est mors aculeus tuus? ubi est inferne vi-
ctoria tua.*

Ierem.

*O mucro domini usque quo non quiescis, in-
gredere in vaginam tuam, refrigerare &
sile.*

Psal. 57.

*Credo me visurum bona domini in terra vi-
uentium: expecta dominum, viriliter age,
& conuertetur cor tuum.*

CAPVT XXVI.

De prosopopœia.

PROSOPPOEIA est figura in logismo,
qua personam loquentem fingimus.

Est } Imperfecta.
 } Perfecta.

*Imperfecta cum sermo personæ leuiter &
oblique representatur.*

*Perfecta cum tota personæ fictio oratione
exprimitur.*

Quarta & vltima species logismi est proso-
popœia ἀπὸ τῆς προσωπῆς persona, & ποιέω fingo,
latinis fictio personæ, Ciceroni sermocinatio
dici-

dicitur, cum alicui personæ sermo attribuitur, qui cum ratione dignitatis exprimat, quæ definitio veris tantum & præsentibus personis conuenit, ad differentiam conformationis quæ esse dicitur, cum aliqua quæ non adest persona, quasi adsit, aut cum res muta aut informis sit eloquens, eique actio quædam datur.

Nostri definitio vtramque & sermocinationem & conformationem generatim continet, cum personam fingimus loquentem, tam fictam quam veram, diuinam quam humanam, præsentem, absentem, mutam, inanimatam, alienam & interdum nostram.

Vt autem oratio personis congrua cum virtute affingatur, earum conditiones prudenter consideranda sunt. Nam hoc schema vt summum orationis ornamentum, cum apposite & opportune adhibetur: ita summum vitiū cum oratio à personæ moribus multum discrepat, veluti si improbo stultoque sapiens attribuat sermo.

Horat.

*Intererit multum Dauus ne loquatur herus-
ve.*

Definitur vulgo cū persona fingitur, aut rei inanimatæ sensum tribuimus. posterius membrum metaphoræ hyperbolice conuenit, prius imperfectum est: si quidem personam fingere absq; vlllo sermone possumus cum rem inani-

matam aliis argumentis homini consentaneis describimus, qualis descriptio προσωπογραφία. Deinde sermocinatio cum personæ alicui orationem congruentem tribuimus, vix vlllo discrimine à prosopopœia separabitur.

Species prosopopœiæ est imperfecta vel perfecta, quæ habet accessum & recessum, quorum alter interdum subintelligitur. Accessus seu principii notæ sunt, ait, dicit, fatur, cœpit, incipit: recessus seu finis, sic dixit, fatus &c. apud oratores verò est copiosior præparatio & conclusio.

Dici potest hæc species ethopœia, cū personam omnibus moribus & proprietatibus expositam, ita introducimus loquentem, ac si præsens ac vera adesset, coramque ipsa ageret.

Altera imperfecta dicatur mimesis, cum aliena dicta seu alienum sermonem imitando repræsentamus, de qua & superius actum.

Idolopœia verò cum quis à mortuis vel inferis excitatus ad torquendum introducit, non peculiarem assumit formam à generali prosopopœiæ dissidentem, quæ eadem siue persona mortua, siue viua introducatur, siue aliud quippiam. Quocirca & fabulæ huc pertinent animalium, aliarumue rerum colloquia continentes. Sin nulla inerit fictio orationis, ab hoc schemate alienæ ad logicam remittuntur, quæ tam fictis quàm veris rebus, omnis generis argumenta attribuit.

Hypo-

Hypotyposis denique, cum prosopopœia caret, ad descriptionem referenda est.

Exempla.

Aeneid. 2.

*Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Hærebat, paruumq; primi tendebat Iulum:
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum,
Si aliquam expertus, sumptis spem bonis in ar-*
mis,

*Hanc primum tutare domum, cui parvus
Iulus,*

Cui pater & coniux quondam tua dicta relin-
quor.

Talia vociferans gemitu tectum omne reple-
bat.

Item sui ipsius.

- Ultro flens ipse videbar.

Compellare virum & mœstas expromere vo-
ces:

O Lux Dardania, spes o fidissima Teucrum.

Quæ tanta tenuere mora? quibus Hector ab o-
ris

Expectate venis? ut te post multa tuorum

Funera, post varios hominumque urbisque la-
bores

Defessi aspiciamus? quæ causa indigna serenos

Fœdavit vultus, aut cur hæc vulnera cerno?

Ille nihil, nec me quærentem vana moratur.

Hor. 1. od. 7.

Teucer salamina patremque

N

Cum fugeret, tamen vda Lyæo.
 Tempora populea fertur cinxisse corona,
 Sic tristes affatus amicos:
 Quo nos cunque feret melior fortuna parento
 Ibimus o socii comitesq.
 Nil desperandum Teucro duce & auspice Teu-
 cro,
 Certus enim promisit Apollo &c.

1. Trist. 3.

Tunc vero coniux humeris abeuntis in ha-
 rens
 Miscuit hæc lachrymis tristia dicta meis:
 Non potes auelli, simul hinc simul ibimus, in-
 quit,
 Te sequar & coniux exulis exulero.
 Et mihi facta via est, & me capit ultima tel-
 lus
 Accedam profuga sarcina parua rati.
 Te iubet à patria discedere Caesaris ira,
 Me pietas: pietas hæc mihi Caesar erit.
 Talia tentabat, sicut tentauerat ante,
 Vixq; dedit victas utilitate manus.

5. trist. 5.

Littore ab Euxino Nasonis epistola veni,
 Lassaque facta mari, lassaq; facta via.
 Qui mihi flens dixit, tu, cui licet, aspice Ro-
 mam,
 Heu quando melior fors tua sorte mea est:
 Flens

CVM SCHOL. I. CRENECARPI. 196

*Flens quoque me scripsit, nec qua signabar, ad
os est*

Ante, sed ad madidas gemma relata genas.

3. Amor. 5.

Oratio Annis ad Iliam.

*Atque ita quid nostras inquit teris anxia ripas
Ilia ab Ideo Laomedonte genus?*

Quo cultus abire tui? quid sola vagaris,

Vita nec euinctas impedit alba coma?

*Quid fles & teneros lacrymis corrumpis ocel-
los?*

Pectoraque insana plangis aperta manu.

2. artis.

*Decidit atque cadens pater o pater auferor, in-
quit,*

Clauserunt virides ora loquentis aquae.

*At pater infelix, iam non pater, Icare cla-
mat,*

Icare clamat ubi es, quove sub axe volas.

Icare clamabat, pennas aspexi n v idis

Ossa tegit tellus, aequora nomen habent.

Terent. in Andr.

Accessi: vos semote, nos soli, incipit

*Mi Pamphile huius formam atque etatem vi-
des,*

Te obtestor, ne abste hanc segreges, ne deseras,

Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.

*Bona haec nostra tibi committo, & tua mando
fidei,*

N 1

Hanc mihi in manum dat, mors continuo ipsam occupat.

Accepi, acceptam servabo.

Cic. pro lege Man.

Hi vos (quando libere loqui non licet) tacite rogant, ut se quoque sicuti ceterarum provinciarum socios dignos existimetis.

Pro Cælio. Accessus.

Existat igitur ex familia aliquis, ac potissimum cecus ille, minime dolorem capiet, qui istum non videbit, qui profectosi extiterit, sic aget & sic loquetur.

Pro Popœia.

Mulier quid tibi cum Cælio, quid cum homine adolescentulo, quid cum alieno, cur aut tam familiaris huic fuisti ut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres.

Recessus.

Sed quid ego Iudices ita gravem personam induxi.

Psal. 82.

Deus stetit in synagoge Deorum, in medio autem Deorum diiudicat: usque quo iudicatis iniquitatem, & personas tempore suscipietis.

Dixit

Esaia. 49.

Dixit Sion dereliquit me dominus, & dominus oblitus est mei; | nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

Imperfecta prosopopœia.

Exempla perfectæ sunt Matth. 25. & alibi.

C A P V T XXXII.

De dialogismo.

DIALOGISMVS est cum sententia collo-
cutione figuratur.

Fit interrogatione & responsione.

Interrogationis species sunt deliberatio & occupatio.

Deliberatio est interrogatio, cum varias tanquam consultationis rationes subinde interrogamus.

Deliberationis species est $\left\{ \begin{array}{l} \text{Addubitatio.} \\ \text{Communicatio.} \end{array} \right.$

Exclamatio, reuocatio, Apostrophe, & prosopopœia dialogismi declaratae sunt: Altera species figura dianoëticae est in dialogismo, cum sententia colloquio figuratur, quale tamen

non vti in dialogis fieri solet, vbi simplex sermo & ἀπαθὴς sed quod ornatus causa, cum alias simplicius efferre possit, fingitur, intelligamus. Vt cum quis secum deliberat, semetipsum interrogare & secum colloqui intelligitur, si cum aliis consultat, cum iisdem colloqui præsumitur: si quis præoccupat, quod obiici poterat, nihil aliud facit quam quæstionem quæ ab alio moueri queat, cui solutionem quam vel permittit vel concedit figurate, subiicit.

Vt vero in colloquio duæ personæ requiruntur interrogans & respondens: ita dialogismi duæ partes, quæstio seu interrogatio, & solutio seu responsio statuuntur.

Sciendum tamen vtramque non vbique figurari: etenim interrogatio figurata præcedere, responsio simplex neque permissione neque concessione illustrata subsequi poterit, contrave.

Interrogatio ex vi nominis intelligitur, cum nempe aliquid interrogatur: ita tamen vt à cōmuni quærendi modo discedat, veluti quorsum abis? quid agis? quæ simplex est & necessaria ita efferenda. Figurata verò fingitur atque in simplicem mutari poterit habitum, vt cum dicitur, vbi quæram? vbi inuestigem? quem perconter? Item Egone qui ab orco me reducem feceris, sinam te sine munere abire? simpliciter alius dicat: Ego nescio vbi quæram, ego te non sinam sine munere abire.

Vulgo

Vulgo definitur, cum quærimus aut sciscitatur sine responsione nostra: quæ definitio interrogationi nostræ conuenit, cum vel nos ipsos vel alios interrogamus, occupationis in interrogatione aliena omissa. Deinde neque perpetuum est responsionem omitti, cum in deliberatione haud raro in occupatione necessario addenda sit.

Species interrogationis sunt deliberatio & occupatio.

Deliberatio est, cum interrogando consilium inire simulamus, eiusdem rationibus siue ex nobis siue aliis quæsitis, ut prædicta exempla innuunt.

Notæ eius sunt, vtrum, an, nunc, num, forte, forsitan, dubito, quæ partim tamen & occupationi congruunt.

Vsus & effectus est, animos audiētium subinde detinere suspensos, vt aliquando inexpectatum quippiam, maius aut minus decernant. Etenim dum nos ita deliberamus auditor ignorat, vel probabiliter, quid animi nostri sit, coniectura assequitur.

Deliberatio sub se addubitationem & communicationem subiectis differentes comprehendit.

De Addubitatione.

Addubitatio est deliberatio nobiscum.

Addubitatio græcis ἀπορία, fit quando nosmet ipsos, qui orationem habemus, interrogamus, seu cum illa persona cui oratio affingitur, secum de ratione aliqua consilij deliberat & consultat.

Exempla.

Aeneid. 2.

Namque ut conspectu in medio turbatus inermis

Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt

Accipere, aut quid iam misero mihi denique restat?

Aeneid. 3.

Eloquar an sileam gemitus lacrymabilis imo

Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.

Aeneid. 4.

Sic adeo insistit secumque ita corde volutat,

En

*En quid agam? rursus ne procos irrifa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia
supplex,*

*Quos ego sum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrum
Iussa sequar?*

*Quin morere, ut merita es, ferroque auerte do-
lorem.*

Addubitatio præcedit, responsio sequitur.

Aeneid. 9.

*Quid faciat, qua vi Iuvenem quibus audeat
armis*

*Eripere: an sese medios moriturus in hostes
Inferat, & pulchram properet per vulnera
mortem.*

Aeneid. 12.

*Heu quid agat? vario nequicquam fluctuat
estu,*

*Diuersæque vocant animum in contraria
cura.*

Ouid. 4. trist. 1.

*Cur tamen apposita velatur ianua lauro,
Cingit & augustas arbor opaca comas?
An quia perpetuos meruit domus ista trium-
phos?*

An quia Leucadio semper amata Deo est?

1. amor. 6.

Fallimur? an versi sonuerunt cardine postes?

*Raucaque concussa signa dedere fores?
Fallimur, impulsa est animoso ianua vento,
Heu mihi qua longe spem tulit aura meam.*

3. amor. 3.

*Esse Deos credam ne? fidem iurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.*

1. art.

*Conquerar an moneam nullum fas esse nefas-
que
Nomen amicitia, nomen inane fides.*

Hor. 1. od. 12.

*Quid prius dicam solitis parentum
Laudibus? qui res hominum ac deorum,
Qui mare & terras, variisque mundum
Temperat horis.*

Terent.

*Hocine credibile est aut memorabile
Tanta vecordia innata cuique ut fiet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent commoda?*

Cic.

*Quid primum querar aut unde potissimum or-
diar, aut quod aut à quibus auxilium petã,
Deorum ne immortalium, populine Rø-
mani?*

Luca. 16.

*Ait villicus intra se quid faciam quia dominus
meus*

*meus aufert à me villicationem, fodere non
valeo, mendicare erubesco.*

C A P V T X X X I I I I .

De communicatione.

Communicatio est deliberatio cum aliis.

Communicatio αἰ ἀναίματος aliàs subiectio,
cum interrogamus aduersarios, aut quærimus
ipsi quid ab illis aut quid contra nos dici possit,
Deinde subiicimus id quod dici oportet, aut
quod non, aut nobis adiumento futurum sit,
aut futurum illis.

At hæc subiectionis descriptio, quia com-
munia cum occupatione, & specialia aliàs gene-
ratim tradenda complectitur, istius loco no-
stram retinemus, quæ proprie exponit quid sit
communicatio, nempe deliberatio cum inter-
roget rationes consultationum aut consilio-
rum.

Deinde vt distinguatur ab ἄπορία, additur
subiectum aliarum personarum, cum quibus
rationem nostri consilii communicamus, siue
illæ sint aduersariæ, siue amicæ.

Aeneid. 2.

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicit, aut possit lacrymis equare labores?
Videtur hic deliberatio ad personam incer-
tam.*

*Nate quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis aut quonã nostri tibi cura recessit?*

*Non prius aspicias ubi fessum atate parentem
Liqueris Anchisen, superet coniux ne Creusa
Ascaniusque puer?*

Aeneid. 9.

*Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc posce-
re currus.*

*Rumpe moras omnes & turbata arripe ca-
stra.*

Ouid.

*Ec quid ut è Ponto nova venit epistola, palles,
Et tibi sollicita soluitur illa manu?*

*Pone metum, valeo, corpusque, quod ante la-
boris*

Impatiens nobis, inuvalidumque fuit.

Hor. I. Od. 12.

*Quem virum, aut Heroa lyra, vel acri
Tibia sumes celebrare Clio?*

*Quem Deum, cuius recinet iocosa
Nomen imago.*

Cic.

*Tu denique Labiene quid faceres tali in re ac
tempore, cum ignavia ratio te in fugam at-
que latebras impelleret.*

Esai. 5.

*Nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Juda,
iudicate inter me & vineam meam, quid est
quod debeo ultra facere vineæ meæ & non
feci?*

*feci? an quod expectari ut faceret uvas &
fecit labruscas?*

CAPVT XXXV.

De occupatione.

OCCUPATIO est cum alieni consilii in-
terrogationem occupamus, eique re-
sponsionis nostræ sententiam subiicimus.

Partes eius } Obiectio.
 } Subiectio.

Obiectio est occupationis interrogatio.

*Subiectio est interrogationis occupatæ re-
sponsio.*

Deliberatio talis fuit: occupatio græ *περίληψις*
alias præmunitio, anteoccupatio dicitur.

Cuius proprietates ut prius id, quod obiici pos-
sit, quam obiiciatur ab aliis, præoccupet & cō-
tinuo responsionem obiecti subiiciat.

Aliis occupatio est eadem, quæ paralipsis &
apophasis de quibus dictum supra.

Partes occupationis facile distinguuntur.

Species si quæ sunt adiuncta prosopopœia dif-
cerni solent, quæ ut duplex, ita occupatio per-
fecta cum alieni consilii interrogationem aper-
te præoccupamus: Imperfecta cum tacite &
leuiter.

Hoc schema axiomatico discreto ex diuersis petito interdum solet enunciari: vt quanquam, et si, licet, tamen, attamen, & cum diuersis proinde idem videatur.

Sed sciendum quod, vt omnes reliquæ figuræ, argumenta sua ex logica desumant: ita & hæc ex diuersis, quibus dum formam rhetoricam addat, cum alterum diuersorum interrogatione aliena tacita vel expressa figurat, & dum alterum loco responsionis subiicit. Hæc figura in proœmio, medio & fine orationis frequentatur.

Exempla.

Ouid. 5. trist.

At poteras inquis melius mala ferre silendo

Et tacitus casus dissimulare tuos?

Exigis vt nulli gemitus tormenta sequantur,

Acceptoque graui vulnera flere vetas.

Hel. Par.

Nec dubito quin hæc, cum sit tam iusta, vocetur

Rustica iudicio nostra querela tuo.

Rustica sin sane, dum non oblita pudoris,

Dumque tenor vita sit sine labe mee.

Occupatio præcedit, responsio concessione figuratur.

Dura

2. Remed.

*Dura aliquis praecepta vocet mea, dura fate-
mur*

Esse, sed ut valeas multa dolenda feras.

3. art.

*Dixerit è multis aliquis, cur virus in angues
Adiicis, & rapidis tradis ouile lupis?*

*Parcite paucarum crimen diffundere in o-
mnes,*

Spectetur meritis quaeque puella suis.

Hor. 4. od. 9.

*Quaquam sydere pulchrior
Ille est, tu lenior cortice & improbo*

Iracundior Adria

Tecum viuere amen, tecum obeam lubens.

4. od. 4.

Donarem pateras, grataque commodis

Censorine meis ara sodalibus.

Donarem tripodas praemia fortium.

Sed non haec mihi vis, non tibi talium

Res est aut animus deliciarum egens.

Gaudes carminibus, carmina possumus

Donare & precium dicere muneri.

1. Epist. 1.

Quod si me populus Romanus forte roget, cur

*Non ut porticibus, sic iudiciis fruatur iisdem,
Nec sequar aut fugiam, quæ diligit ipse, vel
odit:*

*Olim quod vulpes agroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia ter-
rent.*

Cic. pro Arch.

*Queris à nobis Grache, cur tantopere hoc ho-
mine delectemur? quia suppeditat nobis ubi
Et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur,
Et aures conuitio defessæ conquiescant.
Queret quispiam quid illi ipsi summi viri,
quorum virtutes literis prodite sunt.*

Pro Milone.

*Et si vereor Iudices, ne turpe sit pro fortissimo vi-
ro dicere.*

Rom. 3.

*Quid igitur habet, in quo præcellat Iudæus, aut
quæ utilitas circumcisionis multum per o-
mnem modum.*

CAPVT XXXVI.

De permissione.

RESPONSIO est pars dialogismi cum ad
interrogata figurate respondemus.


Est

31605

X 2201932







A. V. D. T. A. L. A. I
TROPOSCHÉ-
MATOLOGIA IN
V. S. V. M. T. Y. R. O. N. V. M.

*Explicata, atque exemplis poeticis, oratoriis,
& sacris, quibus artis veritas & usus de-
monstratur, illustrata*

OPERA ET STUDIO
IACOBI CRENECARPI.



FRANCOVVRTI,
Apud heredes Andreae Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.

M. D. XCVI.

